

Bernhard Peter Karl Christian Friedrich Teichmann

## **Meditationes. Crudiores. De. Germania. Artibus. Literisq. Nulli. Secunda**


Rostochii: Richelius, 1798 [i.e. 1698]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732464331>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil 1098



21. 92

7.

מִשְׁקָרָה  
MEDITATIONES. CRUDIORES.  
DE.

**GERMANIA.  
ARTIBUS. LITERISQ.  
NULLI. SECUNDA.**

EX. BENIVOLO. CONSENSU,  
AMPLISSIMI. PHILOSOPHORUM. ORDINIS,  
IN. ILLUSTRIS. UNIVERSITATIS, ROSTOCHIENSIS.  
AUDITORIO. MAXUMO.

EXERCITII. ACADEMICI. LOCO,  
D. XIII. KAL. MART. ANNO. M. DC. CXC. HORIS. ANTEMER.  
AD. DISPUTANDUM. PUBLICE. EXPONET.  
EAQVE. OCCASIONE.

**CONSCRIPTOS. LITERARUM. PATRES.**  
QVOS. FOECUNDISSIMA. LITERARUM,  
INGENIORUMQVE. OPTUMORUM. MATER,  
**GERMANIA.**

HODIEDUM. SINU. SUO. FOVET. ET. ALIT.  
AD. VINDICANDAM. AB. EXTERORUM. PASSIM. CAVILLIS,  
**PATRIAM.**

ET. ASSERENDA,  
ILLUSTRIA. IN. OMNIS. GENERIS. LITERAS.  
**GERMANORUM. MERITA.**  
MODESTE. OBTESTABITUR,  
**PRÆSES.**

**M. BERNH. PETR.** *Carl.* OSNABRUG.  
RESPONDENTE.  
**CHRIST. FRID. TEICHMANNO.**

GUHRA - SILESIO. L. L. STUD.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Amplif. Senat. Typogr.

PRO CERIBUS. UTRISQUE. REIP. FULGIDISSIMIS.  
ILLUSTRIS. ACADEMIÆ. ROSTOCHIENSIS.  
MAGNIFICO. DN. RECTORI.  
CÆTERISQ.  
DNN. PROFESSORIBUS.  
OMNIUM. ORDINUM. LONGE. CELEBERRIMIS.  
VIRIS. SUMME. REVERENDIS. PRÆ-NOBILISSIMIS.  
CONSULTISSIMIS. EXPERIENTISSIMIS. EXCEL-  
LENTISSIMIS.  
NEC. NON.

INCLYTISSIMÆ. ROSTOCHIENSIVM. REIPUBL.  
DNN.  
CONSULIBUS. SYNDICO.  
RELIQVISQ.  
CONSCRIPTIS. PATRIBUS.  
VIRIS. PRÆ-NOBILISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS.  
CONSULTISSIMIS. AMPLISSIMIS. PRUDENTISSIMIS. ET.  
SPECTATISSIMIS.  
UT. ET.

PL. REVERENDI. IBIDEM. MINISTERII.  
DN. DIRECTORI. CÆTERISQ.  
EJUSDEM. MEMBRIS. OMNIBUS. AC. SINGULIS.  
SUIS. QVOQVE. TITULIS. ET. HONORIBUS. SPLENDIDISSIMIS.  
VIRIS. SUMME. VENERABILIBUS. EXCELLENTISSIMIS. ADM.  
REVERENDIS. AMPLISSIMIS. ET. MERITISSIMIS.  
OMNIBUS. PEREGREGIE. DE. GERMANIA. NOSTRA. MERENTIBUS.  
DNN. MÆCENATIBUS. PRÆCEPTORIBUS. ET. PATRONIS.  
SUBMISSO. ANIMI. CULTU. DEBITAQ. OBSERVANTIA.  
ÆTERNUM. VENERANDIS. ET. COLENDIS.  
QV. ANTULUMCUNOVE. HOC. SPECIMEN. CUM. ARDENTISSIMO. OMNIS. FE-  
LICITATIS. VOTO. IN. SUI. STUDIORUMQ. SUORUM. COMMENDA-  
TIONEM. HUMILLIME. ET. OBSEQVIOSISSE.

D. D. D.  
M. BERNH. PET. Karl.

## DEUS ADJUTA I

Περὶ αὐτοῦ.

**S**I vera sunt, quæ incomparabilis ille, Demosthenis Judicæ, Poëta, (cujus versus singulos singulis statueris aureis, Caracellam edemisse, à Suida accepimus,) Oppianus nempe Cilix, L. 2. de Venatione, v. 317. ait:

οὐκ ἀγατοὶ μόνον Φίλη πάτερη μερόπεισσι,  
καὶ βαλίων ἢ πῖθ' ὅτις ἐνέστακται Φρεσὶ Πρωῶν.

Non (igitur) solis cara patria est hominibus,

Sed rapidarum etiam desiderium aliquod instillatum est animis ferarum; quanto altiores oportet in hominum animis Patriæ amorem egisse radices, ut illi vel pro cunctis vitæ voluptatibus, cum Symmacho (L. 8. Ep. 65.) patriam diligant, heque facilius isti, quod in Phœnissis V. 361. habet Euripides, assentiantur:

ἀλλ' ἀναγκάσις ἔχει πατρίδ' ὅτις ἐρῶν ἀπαύται.

Patriam amare omnes, necesse est.

Homericum illum Ulysses, celebrari passim videmus, quod immortalitatem à Dea sibi oblatam, ne Ithacæ quidem suæ præferre sustinuerit; quemadmodum & insignis Epaminondæ apud Nepotem inde laus est, quod vel orbis terrarum divitias pro patriæ charitate accipere noluerit. Immo patriæ amorem non sibi soli, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἐμφύσει, sed etiam omnibus hominibus innatum esse, apud Josephum (L. 1. Antiqq. Jud. C. 19.) asserere nullus dubitat Jacobus. Et ita omnino est, non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patriæ benedicat, ut bene cum Platone suo philosophatur Tullius, L. 1. Offic. Non ultimum verò inter alia, pietatis erga patriam specimen est, ejus gloriam vel calamo scriptoq; amplificare, debitasque laudes, speciatim è fertili Eruditorum Virorum magnumq; ingeniorum proventu cinatas, commemorando deprædicare. Quò ipsè certè melius suâ quis de Patria meruisse censendusest, quàm si vel cum Philonis istis fratribus, tantopere apud præfæcæ Historiæ scriptores laudatis, pro patriæ salute vivum se retræ obrui pateretur; præsertim si talem nonnunquam operam maligni patriæ obtrectatores videantur extorquere. Nec insolens vel olim fuit, vel hodie est tale Clarissimorum Virorum bene sua de patriâ merendi studium, cum non ignorentur, ex Italis, Jovii ac Tomasini, Illustrium Virorum Elogia, nec non hujus Patavina Inscriptiones, Rossi, seu, ut vocari maluit, Erythraei Pinacotheca Virorum Illustrium, maximam partem Italorum, Galeazii Gualdi Priorati scena à hominibus illustri à Italia; è Gallis, Jo. Papirii Massonii Elogia eruditorum Gallorum, Andr. Theveti Imagines & vite Illustrium Gallorum; Ex Hispanis, Nicol. Antonii Bibliotheca Hispanorum; Ex Anglis, Balei, Fiskei, Lily ac Leighi, Illustris Angli; ex Polonis, Simonis Starabolski Illustris Poloniæ Belgis ac Germanis, Mirai Elogia Belgica, Sanderi Scriptores Flandri, Gandenses & Brugenses, Gerh. Nosiomagi Illustris inferioris Germ. Viri, Corn. Looff, Calkidi Illustris utriusque Germania Viri, (quem hoc quidem nomine Ghilinus laudat, in Theatro à hominibus litteratis, p. 61. vol. 2.) Joh. Tribemii & Henr. Panaleonis L. de Illustribus Germ. Viris, Adami Vita Theol. 78. Med. & Philosophorum, qui superiori seculo; & Cl. Wittenii, Eorundem, qui hoc seculo in Germania floruerunt, Vita & Memoria. &c. Quæ cum ita sint, & jam olim B. Hamel-

## Prologus. Mutua Nationum inter se æmulatio

*Hamelmannus* tale pietatis officium *Vestphaliæ*, Patriæ suæ, quodammodo præsterit, ut (quemadmodum & jam alii è Germanis, suis fecere gentilibus) *sex de Doctis Vestphaliæ* speciatim *Viris Libros* componeret, & *Joh. Gœsius* simile jam quid nuperius susceperit, illustris quoq; *Baro à Plettenberg, Dn. Christiani, Commentarium de illustribus Viris & Scriptoribus Vestphaliæ*, teste *Meibomio in Addicamento ad Introd. Vogleri*, promiserit; nec mihi vitio id verti posse credidi, si & ego huic Patriæ meæ ex literis, & de his optimè meritis *Viris*, quorum sane & illa non produxit paucos, aliquam arcessem gloriam; ingentia eorum in *Elegantiores saltem Literas s. humaniora*, quæ vocant, studia, ostensurus merita. Quod dum meditari nuper cepi argumentum, inque eo circumspexi paululum, mox incidit, quàm iniquè non de mea solum *Vestphalia* multi, sed & vel imprimis de tota nostra *Germania* judicent sentiantque omnes pend exteri, quasi non tam felicia ista procreet ingentia, quæ comparari quidem cum suis mereantur, sed talia, quæ, nisi quod laboriosa aliquando satis, ceterà sint inepta. Unde ego, cum excellentissima nostratium in omnia literarum studia paucis saltem reputans merita, quàm falsi isti & iniqui sint iudices, deprehendissem, dilatis aliquandiu prioribus istis cogitationibus, quæ novas mihi has pepererant, aliam præ matre ista ambire prius cepi, & quæ tum hanc in rem fortè meditar, Academicò more, Disputationis publicæ loco amicis proponere decrevi; ut vel obiter sic ostenderem, immeritò ab exteris quibuscunq; vulgare nostrates, quasi literis ipsis & ingenio sint inferiores, atque adeo Patres literarum Conscriptos, quos nostra hodie nulli secunda fovet & æstimat *Germania*, obtestarer, ut illustria illa *Germanorum* in omnem rem literariam merita (quod incomparabilis noster *Mochobius*, si superfuisset, occupaturus erat argumentum, & utinam!) iusto aliquando opere orbi ex merito representare velint. Faveat interea crudioribus his meditationibus *Benevolus Lector*, ipse verò *Deus* mea cæpta secundet!



Acilè equidè credo, gentes fermè singulas *Asiae* & *Indiae* aliqua plus minusve laborare, dum aliis illæ nationibus heic illic ve palmã sæpe facere dubiã, aut præripere, summa ope annuntur. Ut enim *Sinenses* taceam, qui, uti *Lansius* loquitur, (*Consultat. p. 4.*) se suaque omnia laudibus tam exquisitis prosequuntur, ut *Se duos habere oculos; Europæos, unum;* & quod *hominum est reliquum, cæcutire*, dicant: Quam magnificè sua de gente *Sueci* sentiant, inter alios *Cl. Rudbeckius*, in *Atlantia* a sua, satis vel solus ostendit. De *Itatorum Hispanorum*, in sacrà imprimis *Eloquentiã*, mutua æmulatione ac studio, multa *Nic. Antonius*, in *Prefat. Hispan. Biblioth.* differit. *Anglos* suos tantopere *Belgæ* præfert *Th. Spræat.* (in *Observat. ad Sam. Sorbierii Iter Anglicum, Angliæ editis*, p. 32.) ut eos argutias suas omnes surripuisse illis jactitet; qui *Gallos* itidem *Hispanorum*, in *Tragedia & Comœdia* præcipue, plagiarios facere p. 22. audet, in quo quidem *Barthium* quoque, in præfat. ad *Cæstinam*, ab eo latinam factam, quodammodo habet consentientem. *Guil. verò Cambdenus*, magnus ille patriæ suæ *Anglicæ*, in rarissimo *L. Anglico*

Anglico sermone scripto, sub Tit: *Remains concerning Britain*, (ubi <sup>ἡ ἑλληνικὴ</sup> *ἡ ἑλληνικὴ* quædam suarū *Antiquitatum Anglicarum* dedit) in invidiam Gallorum p. 14. monstrare præsumit, ab omni jam ævo Anglos Gallorum fuisse Pædagogos; cum tamen hi contrā se totius penè orbis venditent Magistros, *Job. Picarde*, in *Cetopædia* sua, datā id operā agente, ut omnium artium scientiam, ipsasque etiam literas, à Gallis in universum genus humanum ostendat esse profectas. Nihilominus & ille Angelus, qui *Ren. Rapin's Reflexions* è Gallico Anglicè transtulit, omnes ferè linguas, præ sua, carpit & invidiosè traducit, suam quasi ideam omnibus, & imprimis Germanicæ, proponere non erubescens; quemadmodum & ab alio id Anglo factum videmus, cujus de Angl. linguæ excellentia tractationem *Gambdenus* suis *Remains* initio inseruit, ubiis omnium linguarum elegantias, omnesque Veteres tum Philosophos, tum Poetas, in istā reperiri & qf. confluisse jactat. Ac quando tamen Galli suam linguam vel supra ipsam Latinā evehant, ut *Sorbierius* fecit, qui, sub nomine *Laboureur*, scripsit *Avant ages de la langu. françoise, sur la langue latine*, Belgicam suam multis perafangis Gallicæ rursus præferre non dubitat *Petr. Scriverius*, Carminum Heinsii Belgicorum editor, in ling. Elogio, Heinsio scripto. Immo & *Dn. Meerwede*, in præf. L. cui Tit. *Uyt-beemsen Oorlogs- ofte Roomsen Min-riomfen*, præ eādē Germanicam superiorem, quasi rusticam & ineptam, despicit; cum contrā *Dn. Præsbius*, in L. de *Pössi Germanica*, nostram vernaculam, omnibus laudibus cumulatam, Græcæ pariter ac Latinæ, multarumque aliarum nationum linguis prætulerit, cui ipse quoque (in *Epist. de Schottali Grammat. Germ.*) ad stipulatur *Conringius*. At hoc parum erat, nisi ex Belgis nonnulli, ac speciatim *Job. Grop. Becanus*, in *Hermasthena* sua, (quibus, *Ghilinò* in *Theatro d'buomini letterati* teste, pollicem præmit *Ant. Riccardi, Italus*, in pec. L. cui tit. *della precedenza delle lingue*) Belgicam linguam pro antiquissima obtrudere Orbi ausi essent; quam potius laudem *Schyrica*, s. antiquæ *Suecica* deberi, *Georg. Stiernbielm*, ipse Suecus Nobilis, in *Synopsi Rune guetica*, quam meditatus est, existimavit. Etsi hæc aliis pro sua, teste *Mariano Victorio Reatino*, in præf. *Gramm. Æthiop.* p. 1.) *Abyssinis*, *Ethiopes*; pro sua etiam, *Phryges*; pro sua, *Arabes*; pro sua, *Czechi*; pro sua, *Coptis*; pro sua, *Aegyptii*, pugnant, & qui non? Certè & pro *Syriaca* lingua, *Theodorotus*, Cyri in Syria Episcopus, quæst. 12. in *Genes. & Georg. Amira*, *Prelud. 2. Gramm. Syr.* proque *Chaldaica*, *Myricæus* in præf. *Gramm. Chaldaeo-Syrc.* aliique; quemadmodum pro *Græca* quoque *Patriides Arabs*, ac pro *Chinica*, ipse *Job. Webbe* in L. anglico, *the antiquity of China* defudarunt, ut in isto antiqui-



tatis dignitatisque culmine poneretur. Ac veluti in *Belgis* sunt, qui suos Poetas super alios extollunt omnes; ita & ex *Italis*, *Alex. Tassonus*, in *Pensieri diversi* L. X. C. 14. facta Poetarum Veterum, tam Græcorum, quam Latinorum, cum novis *Italis* comparatione, hos istis omnibus longe præfert; & imprimis *Ariostum* ac *Tassum* tantopere celebrat, ut ipsi dicantur *due sourani lumi della lingua e dell'età nostra*, illustri e gloriosi sopra tutti gli antichi. Et *Gallis* quoque nonnulli tanta suis suspendere elogia non verentur: sanè *Claudius Verdierus*, in *cenfione Autorum Omnium Vett. & recenti. Ronsardum*, Poëtam Gallum, dicit eorum, qui quavis ætate aut lingua scripserint, omnium laudes unum promeruisse, in quo vel ipsum *Doctiss. Perronium* habet consentientem cujus verba in *Excerptis Puteanorum* p. 231. leguntur, ubi is talem illum esse judicat, qui avoit le plus beau genie, que Poete ait jamais eu, ie di de Virgile & d'Homere. Cum tamen is, quem dixi, *Rapinus*, & ipse *Gallus*, siq; latina ejus species *Carraina*, vel *Maroni* comparandus, in suis *Reflexionibus super Aristotelis Poeticam*, P. II. *Reflex.* 25. & 30. tam contemptim de *Gallis* Poëtis judicet, ut eorum Poësin pro mera *Pedanterei* vel *nonsense* habeat, in qua nec umbra sublimioris genii, qui in *Homero* *Virgilio*que fuerit, reperiatur, & ad exempla vel ex ipso illo *Ronsardo* provocat. At hos tamen omnes in obscurandis *Germanorum* maximè laudibus, videas velut *συγκρητισται* & amicè conspirare. Qvis enim non audivit de summa illa, ac non nisi e *Patrè mendacio*, & *Matre invidia*, prognata calumnia, qua florentissima nostra *Germania* passim aspergitur, ab illis etiam nationibus, quæ primam vel generis, vel eruditionis elegantioris originem ipsi penè acceptam referre coguntur, quasi nostratium Scriptorum ingenia sub celo nimis sterili nascantur, eorumque libri nihil vel subtilis ingenii, vel acuti judicii sapiant. Immo *Barclajus* hinc *Germanis* (in *Jcone animor. C. 5.*) vim mentium opacam tribuere haud erubuit, qf. opacæ Germaniæ sylvæ opacas quoque eorum mentes redderent. *Dominicus* etiam *Bouhours* & *Andr. Baillelus*, quàm indigne & malignè nostra de gente scripserint, palam est, quorum hic, *Vir ceteroquin Doctiss.* etiam in *Jugemens des savans, sur les principaux ouvrages des auteurs*, primo statim T. de nationibus singulis universè judicaturus, non sibi temperare potuit, quin de *Germanis* judicaret iniquissime, quasi illorum meritis literariis dignum satis foret, scribere: *les Allemans sont toujours Allemans*. Et cui justam illud non extorqueat indignationem, quoddè e *Belgis* etiam (qui ipsi licet *Germaniam*, quam *inferiorem* dicimus, incolant, seque *Germanos* injerat,

Al. Nationum adv. Germm. invidia. Eorumq; Vindices.

*inferiores* vel ipsi *læri libentesq;* cum Lipsio (Ep. 98. Cent. II. Misc.) appellentur, a nobis te tamen hodie, secus certè quam fieri oportebat, tantò heic intervallo distinguunt, tuamq; in literas indolè, præ nostrâ, tam magnifice jactant) Barlaam ille, ad *Vinc. Fabricium*, eumq; nostratè, tam impudenter, quàm falsè scribere audeat; Germaniam nostram *superiorem*, literis meritò *inferiorem* dicendam esse. Ubi verò hic noster, quantù ipsi quidem tunc licuit per modestiam, et si in responsione (vid. *Epist. Fabric. p. 265.*) non dissimularet, esse apud nos, qui non modò *succo & sanguine, sed etiam colore & specie solida Eloquentia* destituantur; illud tamen hunc Thrasonem monebat, *morbum* hunc non paucos etiam ex ipsius gentilibus *incessisse, ne Batavos suos nihil peccate posse credat; ipsi sumq;* si ejus rei causas curatius inquirat, in soli nostri naturam (cum nunquam, ait, defuerint decora ingenia, que cum vestris facile certent) eam conferre culpam baud rectè posse. Neq; adeo quis mentiri putandus est, qui (*Fabricii* ibi verbò) Barlaam, dicat, cum credidisse fortè, se carmen condere, heic enim ipsi mentiri, & audaciter etiam, licet. Bodinum v. non adeo miror, apertum nationis nostræ hostem, cui certe, dum (*in Meth. Histor. C.V.*) Germanorù ingenium in manu postum esse dixit, cerebrum in calcaneo positum, apparet. Permovère hæc, jam aliquot ante secula, Joh. Trithemium, absconditæ eruditionis, (quæ vel Magis nonnullis suspicionem præbuit) Virù, & *τοῦ πρώτου βιβλίου*, (quod cum ex variis ejus scriptis ab ipsomet sub finem *Catalogi de Script. Eccl.* inque ipso *Catal. de Illustr. Viris Germania*, enumeratis, tum ex iis patet, quæ in *Epist. ad Beyselium*, *Patricium Aquensem*, laudato *Catalogo de Ill. Germ. Viris* præfixa, *Mateus Hebenus*, de eo memoriæ prodidit,) ut Excellentissimus iste sui temporis Polyhistor istusmodi in se Vindicias susceperet, èque pluribus paucos saltem nostratium, cum suis in literas meritis, in theatrum qd. productos, exteris nationibus repræsenteret. Cum enim Hebenus, visò apud Trithemium Libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, miraretur, ut ipse in *Epist. dicta* loquitur, tam præclaros Scriptores Germaniam habuisse, & etiam hodierna die habere, meminissetque, se a quodam doctissimo Philosopho Italico audivisse, neminem se unquam doctum Germanum præter unum Albertum M. legendò usquam comperisse, Abbas (*Spanhemensis*, *Trithemius*) subridens, eo magis, respondit, igitur credendum est, Italos Germanorù laudes in scriptis suis ex professo præterisse, quò ex aliorum præteritione sua gloria major videretur. Hocq; dictò, produxit ipsiq; ostendit jam laudatum *Illustrium Germanorum Catalogum* qui & hodie inter Opera ejus Historica extat: In cujus tite Dedicacione quâ similiter dolet, Germaniam nostram, quasi sterilem & bonis artibus vacuum, despi-

co) fatetur, se paucos ex pluribus recensuisse, quatenus detractor in-  
 vidus per ipsos sentiat, quanti adhuc desint, quos iste Catalogus minimè por-  
 ret, — sed studiofis nostris Germanis occasionem præstitisse, ut his de-  
 inceps etiam alios possint adungere. Quemadmodum, & Jac. Wimphelingius  
 Vir Doctiss. *Wesov. s.* additionem illustrium Germanorum mox  
 attexit isti postea Catalogo, ubi in epist. præmissâ similiter gravissimè  
 invehitur in detractores invidos, & acerrimos lingua nostræ Censores,  
 ostenditque, jam Hieronymi ævo nostras terras doctissimis Viris efflo-  
 ruisse, in quarum latebris & Tullium & Quintilianum ipsam inventos esse,  
 Italis confutandum sit, provocatque, inter alia, ad ornatissima vetustissi-  
 maque diversis in locis Epigrammata, quæ ejus tempore extiterint, quæ  
 in Moguntiaco, cœnobisq; plurimis, Rheno-siniis, ipse levisaverit; & ad  
 affluentem vetustissimorum voluminum copiam, monstratque, quanta in stu-  
 diis suis copia fuerit, & quanta varietas, apud Germanos, qui non una  
 aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quæ unquam possent, vel scientiæ  
 per vestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint; interq; nostrales sum-  
 mos ac præcipuos Mathematicos & Astrorum exploratores fuisse, & eam cœ-  
 li siderumque notitiam ex Germania nuper ad exterarum nationes, præsertim  
 ad illustres Italos, esse profectam, additque, quocumque se animo & cogitati-  
 one convertat, permultos excellentes in quocumque genere videre Ger-  
 manos, non mediocrium artium, sed propè maximarum. Testatur  
 deniq; Doctissimos Germanos Viros, qui à tempestate, cum in Gymnasis & Cœno-  
 biis, tum in Ecclesiis, Principumque Curis, in omni arte & quarumcunque re-  
 rum notitia florerent. Et. Attamen, in fine, committamus, inquit, hoc opus  
 posteritati, ut, si futuri sunt unquam in Alemanniâ, qui nationis & Patriæ  
 suæ laudem ac gloriam amant, adiant de sua vena, ubi nos jam  
 destitimus, ipsi quidem post hæc incepturi. Antè laudatus quidem  
 Trithemius l. d. huic etiam Wimphelingium laudat, quòd patriæ indu-  
 ctus amore, Sebastianum quoque Murrbonem, Colmariensem, virum unde-  
 cunq; doctissimum, trium Linguarum principalium non mediocriter pe-  
 ritum (quod eotempore miraculi instar habebatur) suis coborationi-  
 bus eorumq; perduxerit, ut, de laudibus Germanorum, Epitomen perpulo-  
 chram ediderit, in qua (inter alia) nationis nostræ clarissima ingenia,  
 opera & inventa, brevi compendio recensuerit: quam tamen nunquam me  
 vidisse hætenus memini. Nuper in mortale gentis nostræ decus, & incom-  
 parabilis quondam Polyhistor, Du. D. Horbhus, has etiam vindicare calu-  
 mnyas, apud se constiturat, si superfuisset, singularem meditatæ Disser-  
 tionem, de Meritis Germanorum in re litteraria, cujus in illustri suo, quòd  
 Poly-

*Polybistora* appellat, Operc, spem Orbi jam fecerat, ut et in *Differe. de Poese German.*, p. 248. de qua *Dr. Müllius* in ejus *Epicædio* pulchrè eccinit:

*Lævideat nobis Bazarus, sine Gallus & Angli*

*Nomina Teutonicis non satis æqua viris;*

*Hic nostris adstat meritis, parat ille Theatrum;*

*Quo profert meritis conspicenda suis.*

Quis enim ferret, tam indignis passim modis nostratium ingenia ab exteris traduci, dum quorundam hominum, vix femidoctorum, quorum tamen messem benè largam apud nullam gentem non reperiri crediderim, libros non scribebant, sed vomentium, ut *Morhof*, loquitur, *Polyh. Lit.* p. 208) quibus ut excutereur è manu calamus, publicè auctoritate providendè deberet, scriptitandi pruritus, in universæ nationis vertunt ignominiam? vel nostratium sinceram nimis venerationem, & avidam sapientiæ peregrinæ, non sine magnis quandoque sumptibus factam, conquisitionem, nostræ putant stupiditatis & ignorantia esse confessionem? Immo quicquid porro laudi nostratibus cedere nõrunt, vel obscurare, vel extenuare, vel planè nobis eripere, allaborant? Quo ipso de actu ac fraude jam olim coquestus *L. d. Tritheimus* est, qui graviter, si quid, ait, virtutis, si quid eruditionis, si quid laudis de nostris apud *Veteres auctores* invenerint, ne ad multorum notitiam perveniat, aut citius abradant, aut sua publicantes, nostra omittunt. Sic denique *Plinium*, de Germanorum bellis, perisse fama est; sic multa ac varia de rebus gestis nostratium, antiquitatis conscripta feruntur amisse historie. Annon nimis manifestè *Rudbekius* in *Atlantica* sua, Germanorum etiam laudibus passim invidit, eorumque plurima ad suam gentem, obtorto sane collo, trahere conatus sit, vel ipsi judicent exteri. Quis nescit, *Westfaliam*, ejusq; illustre, quod *Corbejæ* est, monasterium, primariam aliquot seculis Germaniæ exterarumque provinciarum scholam (ex qua tot *Archi-Ep.* *Episcopi*, alique *Viri* insigniter docti, singulari *Theatrò à Cbr. Fr. Paulinò* representati, ut ex equo *Trojano*, prodierunt) insigni *Literariam Remp.* & nunquam deprædicando satis beneficio affectisse? dum *Priores Annalium Taciti* libros, antè deperditos, apud se conservatos, restituit, quod & ut remeruditis non ignotam, *Jusius Lipsius*, insignis ille *Taciti* amator, et si *Westfalis* non satis alioquin æquus, gratus agnoscit, dum (ad *L. 2. Annal. n. 34*) illino de promptum verè hunc thesaurum, dicit, quæstorem quendam *Pontificum* ad *Magnum Leonem* deuisse, donatum ab eo aureis quingentis, *Conf. & H. Kirchn. Orat. de Stud. Hist.* At verò *Andr. Alciatus*, *Italus*, hoc laudis nobis invidens, in quodam *Historia Encomio*, ad *Galeacium*, hujus

hujus rei non nisi cum nostræ gentis injuria, læsæque veritate, meminisse potuit, dicit enim *Leonem X. ipsos libros, de barbaris redemptos, postliminiò ut tandem reverterentur, effecisse.* Unde rectè ab *Henr. Meibomio, Viro Cl. in Vita Wittechindi* audit: *Siccine rependis beneficium a ceptum, Alciate?* verùm similis studeo esse popularibus cuis, *Tuscis, de quibus Trithem. Chron. Hirsaug, in hanc sententiam: Anno Sigeri, Abbat. VIII. quid à Christo nato 960. venerunt legati Tuscorum ad Ottonem I. Imp. petentes sibi dari aliquem, quieos in via veritatis instrueret, quibus misit Adelbertum, ex Monacho Corbejensi Episcopum, Virum doctum & Sanctum, qui vix evasit manus eorum. Sc. Verè, tu Alciate, inter Longobardos bardus, merito ejus urbis civis, que propter rebellionem, perjurium, tyrannidem, aliaque scelera, à Germanicè sanguinis Imperatore (Frid. Barbarossa) solè equata, aravisque ingri speciem conscissa, non frugis, sed, ad ludibrium, salis semen accepit. Sic & Hugonem de S. Viltore, Abbatem Paris. sec. XII. (de quo cive tam celebri, Saxonia, ob summam ejus, & illo tempore rarissimam, eruditionem, quam vel apud Tritheimium, in Catalogo Scrip. Eccl. tantopere deprædicari legimus, merito sibi gratulatur,) nobis invidere, & non ita pridem, conquistis undique rationibus, Belgis (mirum, quòd non Italis (uis) attribuere iustinuit Vir Celeberr. Jo. Mabillon. T. I. Analectorum p. 326. citante Cl. Henr. Meibomio juniore, in sing. Diss. de Patria Saxonia Hugonis, Tomo 3. Rerum Germanicarum subjunctâ; ubi tamen ille luculenter hunc nobis vendicavit, eque fide dignis testimoniis probatum ivit, non solùm eum Saxonem fuisse, quod etiam Gobelinus Persona, Westfalus, ipsique σύγγραφος ferè Historicus, in Cosmodromio, (ætat. VI. C. 58. in fin.) Engelbusius quoque (in Chron. p. 224) & Trithem. l. d. cumque illis Bellarm. Vossius, Miraus, Flacius, Ughellus, Langius, &c. testantur, sed & ex Comitum Blanckenburgicorum familia ortum, quod idem & jam ejus Avus, in Notis ad laudatum Cosmodromium, & G. Calixtus, in I. de Paris §. 28. afferuerant. Ex quibus, similibusque speciminibus elucet, quantum nostris insidentur laudibus exteri, omniq; eas modò intervertere studeant, qui, ut scitè Plutarshus (in L. τὸ εἶ δὲ δὲ εἰν) loquitur, laude, perinde acque pecuniâ se illâ privaturos putant, quam alii impertiant. Qui autem tam iniquos Germanorum se præbent Censores, nã illi, si verum fatendum, vel oculis livore suffusis, eorum non vident merita, vel, per ἀπορίαν τῆς Δαρείας, æqua illis statuere precia non possunt, faciuntque adeò (: verbo Comici) intelligendo, ut nihil intelligant. At*

Non obtinse adeò gestamus pectora;

Non

Non enim nescire debebant, qui ita *naso suspendere adunco* amant nostrates, nec nobis deesse, in omni literarum genere, qui meritorum gloriâ contendere nunquam cum eorum præstantissimis non possint. Videamus nunc saltem obiter. Quid ipsis, si PHILOLOGOS primùm spectemus, de nostro *Job. Reuchlino, J. U. D. & Principum Consiliario, Sueviae Triumviro &c.* (quem Græcè *Capnionem* appellavit *Hermolaus Barbarus*) videtur? cujus incomparabilia prorsus merita, quibus (ut *Munsterus* loquitur, in præf. *Gram. Chald.*) *Ebraisnum primùm inter Latinos plantavit*, nemo dignè cogitare, nedum eloqui aut deprædicare par est. Videnda sunt, quæ in *Ejus Vita Melch. Adamus*, & imprimis *Majus*, pec. L. posteritati consignârunt. Ille certè non *fumum*, quem nomen quidem ejus designat, ipse verò dispulit cum ignorantia tenebris; sed clarissimam *lucem* sanctioribus his Musis in Europa attulit, ideoque *Φῶς Φοῦ* potiùs dicendus. Dies me deficeret, si huic me narrationi vel leviter committerem, unde solùm ad eos, quos dixi, provoco, simulque ad V. Cl. *Herm. ab Hard.* Prof. LL. OO. Helmstad. in *Prodromo Ephemericum Philologg.* ubi, quomodo inaudito hæctenus exemplo, Reuchlinus, comparatâ sibi labore improbissimo linguæ Ebrææ notitiâ, primus A. 1506. *Rudimenta Grammaticæ & Lexici Ebraici* dederit, posteaque & Judæorum quædam arcana, in LL. suis de *Verbo Mirifico & Arte Cabalistica*, admirandò prorsus conatu Orbi prodiderit, in compendio exponitur, quidq; certaminum cum turpissimis ignorantia Patronis, *Pfeffercornio, Arnoldo de Tumberi, Hochstrato*, similibusq; fumivendulis, cum Colonienfi, immò & Parisienfi Academiis, tanto se fervore ipsi opponentibus, ineundum illi ob restitutas elegantiores literas fuerit, summam recensetur. Nulla certè erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non debitis in cælum laudibus hunc Ebraismi (solùm dicam) in Occidente instauratorem, æternùm ferat. Nec habent, quod hæc Hispani glorianter, se post quoque An. 1515. cum nova Bibliorum (quæ *Complutensia* vocant) editione, *Dictionarium Ebraicum & Chaldaicum* procudisse. Ut enim taceam, jam tot annis tunc Reuchlini Lexicon profuisse; Seb. sanè *Munsterus*, in præf. *Dictionarii sui Ebr. & Chald.* paulò post editi, docet, ibi *significationes dictionum ex Vulgata Versione esse petitas; & aliquantò minus Hispanum præstitisse, quàm res exegisset.* Neq; est, ut multis hunc exteris objiciam, quem omnes nationes cultiores, *Gallos, Italos, Anglos*, &c. ob excellentissimam eruditionis famam, summi fecisse, ex ipsorum Epistolis, *Majus*, in *Historia Vitæ Ejus*, probavit. Quid videtur exteris de *Conrado* nostro *Pellicano*? cujus quoque, post Reuchlinum, secunda in his fuit gloria, velut ingentia ejus in istas literas merita, *Adamus*, in *Vitâ*

B

ejus,

ejus, ex parte non reticuit. Ille enim improbo quoque labore & אִזְוִי-  
**דאקט** his studiis invigilans, tantos statim sibi acquisivit profectus, ut mox,  
 post Reuchlinum, *Novam Lingvæ S. Gramm. & Lexicon* componeret, &  
 Reuchlino, in instaurando Ebraismo, adjutor aliquandiu Tubingæ indefes-  
 sus existeret, imò & *Chaldaica*, sine duce licet, jam tum rimari inciperet, et si  
 ob id propè rideretur à *Capitone*, *Inst. Ebr.* L. I. lit. D. 4. b. Quibus accedit  
*Joh. Pötkenius*, qui cum *Psalterio suo Ebræo, Græco, Chaldaeo & Latino, In-*  
*troductiunculas* quoque in tres linguas priores, A. 1518. Coloniae edidit, ubi  
 in fine *Psalterii, Epistolâ ad Lectorem*, dicit se senem illas literas didicisse, &  
*Chaldaeam linguam, per se in Europam primùm importatam*: ubi tamen  
 semper, per *Chaldaeam*, intellexit *Æthiopicam*, quas tunc æquipollere credi-  
 derat; quemadmodum & idem jam An. 1513. (teste *Konigio, in Bibl. V. &*  
*N.*) *Novum Testamentum Æthiopicum* edidit. Nec defraudandus sua hic  
 laude est similis *Heros, Wolfg. Fabritius Capito*, itidem nostras, qui 1518.  
*Ebraicarum Institutionum libros 2.* Basileæ edidit. Sed vel imprimis *Seb.*  
*noster Münsterus* memorandus heic est, qui pertinacissimo etiam studio  
 has sectatus *Mulas*, An. 1523. *Lexicon Ebraicum & Chaldaicum*, annoque  
 statim sequenti, *Institutiones Ebraicas* edidit, & An. 1525. denuò *Dictionaryum*  
*Ebraicum, ex Rabbinorum Commentariis collectum*, publicavit, & *adjectis*  
*is vocabulis Chaldaicis, quorum in Bibliis usus est, locupletavit*; qui &  
 An. 1527. *Dictionaryum Chaldaicum, non tam ad Chaldaicos Interpretes,*  
*quàm ad Rabbinorum intelligenda Commentaria, necessarium, ex Baal*  
*Aruch, & Chaldaicis Bibliis, atq; Ebræorum פרושים* congeffit; *Gramma-*  
*ticam etiam Chaldaicam, antebac à nemine attentatam, concinnavit, in*  
*cujus præf. quantò quæso justius, inquit, ego, destitutus his omnibus ad-*  
*miniculis, queri possem, de laboribus meis, qui primus inter mortales, quod*  
*sciam, pergo Chaldaica lingue jacere fundamenta. Spero ob eam rem im-*  
*posterum, quando hac lingua uberiora inter Latinos receperit incrementa,*  
*propitios mihi contingere Censores, si quando in hac mea lucubratione hal-*  
*lucinatus sum, & plus minusve nonnunquam scripsi, quàm justum sit, ut*  
*facile in linguarum initialibus studiis fieri solet. Taceo plura scripta*  
*Grammatica, ab eodem ad facilitanda illa studia tunc elaborata, qui-*  
*bus suo tempore titulum Esdræ Germaniæ meruit; quemadmodum eum*  
*etiam ob insignia in Matthesin, & imprimis Geographiam, merita, Stra-*  
*bonem Germanum appellatum esse, Adamus in Ej. Vita, ipseque Thuanus*  
*Hist. L. XI. p. 535. perhibet. Taceo etiam stupendos ejus labores, quos post*  
*tot secula primus, in nova latina Bibliorum Ebræicorum Versione, Rabbinicis*  
*illustratâ*

illustratâ notis, eudenda, infumfit: Qvemadmodum & illo tempore B. L. L. the-  
ri nostri ista laus fuit, quòd primus secundùm fontes SS. Biblia Germani-  
cè tunc transtulerit, quibus ex conatibus summam Germanis meritorum  
deberi gloriam, quis negabit? Interea

*Tantæ molis erat Sanctæ instauratio Linguae,*

quam Germanis nostris, etsi *invidum livido dente rodant pollicem*, denega-  
re nunquam poterunt exteri, quibus facillè postea fuit, inventis addere, &  
cortice à Germanis, suis quasi *Pædagogis*, fracto, nucleo nunc frui, præcep-  
tisque in artis formam jam redactis, ornatum deinde conciliare majorem;  
quod vel omnes poterunt, nec Germani postea intermiserunt. Illis autem ini-  
tiis, etsi tunc adhuc tenuioribus, tot certè alii per Germaniam, Italiam, aliasque  
provincias, ita brevi profecerunt, ut & ipsi, ad promovendas ulterius has li-  
teras, symbolam suam contulerint: quos inter præcipuè *Job. Oecolampa-  
dius, Casp. Ammonius, Uldaricus Zwinglius, Matthæus Aurogallus, Job.  
Campensis; In Italia, Petrus Galatinus, Santes Pagninus, Augustinus Nebi-  
ensis Episcopus; In Hispania, Stunica &c. à Munstero (in præf. Operis sui  
Grammatici, 1542. publicati) numerantur. Sed neq; nescire debebant ex-  
teri, quantum posterioribus etiam temporibus, ut alios nunc præteream,  
vel soli hæc studia juverint propagaverintque BUXTORFFII,*

Antè pererratis amborum finibus, exul

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;

quam debitas illorum laudes, & immortalia prorsus, non in *Ebraicam* so-  
lùm, *Chaldaicam*que, sed & *Syriacam* ac *Talmudicam* literaturam, merita,  
vel vetustas consumere, vel invidia corrodere, vel exterorum merita  
obfuscare queant. Primus namq; Ille, summum nostræ quoque *Westfalia* de-  
cus, non à Germania solùm, sed & Gallia, Anglia, Scotia, Daniaque pro  
Præceptore, non sine summa admiratione, habitus, ab ipso Scaligero, suo  
certè jure, *Rabbinorum Præceptor* salutatus est, quem & ipse non minus,  
quam Heinsius, Casaubonus, Mornæus, aliique tam Judæorum quam Chri-  
stianorum Doctissimi, totusque aliquando Argentoratensium Theologorum  
Ordo, summis in cælum extulerunt laudibus, quas è *Tossani Orat.* ex parte  
recensuit *Cl. Wittenius*, in *Memor. Buxtorffii*. Quos omnes nec falsos in eo  
fuisse, tot istius Viri Scripta & Opera, omnibus & notissima, & usu neces-  
saria, abundè ostendunt. Immodò sciant præterea iniqui isti gentis nostræ Cen-  
sores, si undecunqve etiam terrarum gentes nostram ingressuræ essent Ger-  
maniam, illas suum omnes sermonem hæc facillè reperturas, & cum stupore  
esse admiraturas. Provoco eo sine ad *Jo. Alb. Widmanstadium*, Imp. Ferd. I.



Cancellarium, qui Syriacam primus linguam nostris finibus intulit, quæ & heic suam quasi patriam ex illo tempore invenisse visa est. Testor & *Wilh. Schickardum*, atq; *Adamum Olearium*, qui Persicam in Germaniam primi traduxerunt, nec non *Job. nostrum Elichmannum*, de quo ipse *Salmasius*, in *præf. ad Tab. Cebetis Ambicam*, falsus est, in Persica sanè vix videri Europam ei parem tulisse, nec fortè Latunam, quique primus, cum *Lugd. Batavorum* degeret, *Grammaticam* istius lingvæ concinnavit, à *Lud. de Dieu* postea, nomine *Rudimentorum Lingvæ Persicæ* publicatam, *Ravio* teste, in *Paneg. I. Linguarum Orient.* p. 12. ut & *Bornitiò*, *Exercit. I. de Synagg. Ebraorum*, §. 2. Non dicam de *Job. Pörkenio*, & *Jobo Ludolpho*, Viro undiqvæq; longè celebratissimo, qui *Æthiopicæ*; de *Hottingero*, qui *Samaritanas*; de *Hieron. Megisero*, *Com. Pal. Cæs. & Sax. Elect.* quondam Historico, & *Franc. à Mesnien Meninski*, *S. Cæs. Maj. Consil. & LL. OO.* Interprete primario, qui *Turcicæ*; de *Rutghero Spejo*, *Jacobo Christmanno* ac *Petro Kirstenio*, aliisq; qui *Arabicæ*; de *Andr. Müllero*, qui *Sinicas*; de *Andr. Acolutho*, qui *Armenicæ* præcipuè literas, ex *Asiæ Africæq;* terris, in patriam nostram transplantarunt, omniqve eas modo, & obstetricante quasi manu, in lucem posuerunt, quorum aded omnium tam varia, eaq; invidenda exteris, merita nullius conscientia non tenentur constricta. Ut hinc *Germanis* (quæ *Cl. Muhlîi* verba sunt, in *Orat. inaugur.* p. 15.) multùm *extera nationes debeant*, quorum beneficio auspicioq; posito *tristi incultu illo atq; squalore, in omnem leporis ac elegantia speciem, Orientis & aliæ literæ, felici omine adoleverunt.* Et, si de *Accentuatione*, quam vocant, *Ebraorum*, dicendum etiam quid est, quis fuit, qui ante *B. Sam. Boblium*, (immortale non *Pomeranorum* tantùm, sed & *Germaniæ* totius decus, incomparabilem futurum *Philologum*, nisi eum hujus *Acad. Theologum*, ætate quidem *Juvenem*, mors terris invidisset) istam ita introspererit? quem postea *Cass. Ledebubrius*, & imprimis *Matth. Wasmuthus*, secuti, hanc doctrinam ad summum fastigium deduxisse visi sunt. Vid. *B. Pfeiff. Ep. ad Weimarum*, Ejusdem *הורח טעמי הקרא* sive *Doctrinæ Accentuum*, præmissa. Cogitare porro debebant exteri, si, ut *Galli* imprimis solent, *NUMARIAM* suam *eruditionem* jactant, si *Patinos*, *Segvinos*, *Falconerios*, *Mediobarbos*, *Fresneos*, *Bellorios*, *Corfos*, *Malvastias*, *Norifios*, *Bassetos*, *Oisielios*, *Cuperos*, *Vaillantios*, *Sponios*, *Camelos*, *Harduinos*, *Rainsantios*, *Maximos*, *Molinetos*, *Gottifredos*, ostentant; nostros quoque *Spanhemios*, *Begeros*, *Majores*, *Schmidios*, *Eggelingios*, *Morellos*, *Diecmannos*, *Kirchmaieros*, *Wedelios*, *Wagenseilios*, *Schurzfleischios*, aliosq; plurimos, submissò nunc silentio venerandos. *Conf. Vindic. Num. German. contra Gallos, An.*

1694. ed. Nec fugere illos debebat, si MATHEMATICA sua peritiâ superbi-  
unt, illustria prorsus Germanorum in omnes Matheseos disciplinas, merita,  
quibus aliis non pares, sed superiores existimandi sunt. Dedit Germania,  
ne longiùs progrediar, *Georg. Purbachium*, qui rudi suo licet seculo, maxi-  
mum tamen, cum Mathesin Viennæ doceret, nomen consecutus est. Nam  
(autore *Adamo* in *Ej. Vita*) *ingenium ejus & Galli & Itali admirati sunt, nec  
admirati hi solùm, verùm & Friderici III. Augusti præclara in eum extitit  
munificentia; Eum Ladislaus, Pannoniæ Rex, Astronomum sibi è non multis de-  
legit; Eum Cardinalis D. Petri ad vincula, in familiam suam receptum uni-  
cè voluit; Eum Johannes Varadiensis Episcopus eximie dilexit, & Mathematicis,  
quibus delectabatur, studiis, Præceptorem optavit. Unde & factum idem  
Adamus memorat, ut Bessarion Cardinalis, ei, cum Viennâ abiret, indi-  
gnum arbitratus, tantum ingenium apud nostros subobscurè agere, secum in  
Italiam ut proficisci vellet, persuaserit, quemadmodum & Ferrarie in Italia  
eum docuisse, Ricciolus in *Chron. II. Mathem.* testatur. Hic *Job. Mülleri, Regio-  
monto-Franci*, incomparabilis quoque Mathematici, Præceptor fuerat, cui mori-  
ens, cum eam, quam molitus fuerat, Astronomiæ instaurationem defere-  
ret, *Almagesti*, à se inchoatam *Epitomen* testamento quasi legavit perficien-  
dam, quod idem illic *Ricciolus* perhibet. Hic vero non id solùm effe-  
ctum reddidit, sed &, quod laudem imprimis meretur, coeptam à Purbachio  
ignoratam illam Veteribus *Sinuum* doctrinam, ad summum ut deinde eve-  
heret fastigium, labore prorsus Herculeo, omnium primus *Tabulam Sinu-  
um* ad singula quadrantis minuta se extendentem, condere ausus, radio  
10000000. particularum assumtò; (vid. *L. Val.* in *pref. Operis Palatini, & Ulr-  
sin. Trigonometr. Lib. 2. Sect. 1. c. 1.*) *triangulorumque*, tum planorum, tum sphaeri-  
corum doctrinam, subtilioris matheseos clavem, ad perfectionem promovit.  
Unde non mirum, Virum hunc, omnium seculorum Mathematicis æquipa-  
randum, immò plerisque, si ultra XXXIV. modò annos ipsi, vel seculo sal-  
tem feliciore, vivere licuisset, anteponendum, ipsum *Ramum* (*L. 2. Scholar.  
Math.*) tanti fecisse, ut *Tarentum Archytâ, Syracusas Archimede, Byzantium  
Proclo, Alexandriam Ctesibio, non justius; quàm Noribergam* (quò, peragra-  
tâ Italiâ, ob belli motùs, à Matthia R. Hung. & Episcopo Strigoniensi vix  
ægrè dimissus, tecesserat) *Regiomontano gloriari, iste Gallus crederet. Incre-  
dibile est, inquit, ex Italis rursus, Ricciolus, magnus ille Mathematicus, loc. dict.  
quantum huic Viro, verè Magno* (nam & jam antè illum *Germaniæ decus,  
& cognomine Magnum* appellaverat) *debeat universa Mathesis, sed præcipuè  
Astronomia, tum ob Epitomen Almagesti, Librum de Cometis, Tabulas ac pro-**

blemata primi mobilis & directionum; tum propter editiones novas, & translationes, ab ipso factas aut procuratas, praesertim (erat enim Graecissimus) Manilii, Ptolomaei, Theonis, Procli, Menelai, Theodosii, Julii Firmici, Hygini; item Archimedis, Apollonii, Sereni, Heronis, Vitellionis, Leopoldi de Austria, & Jordani. Paulus quoque Jovius, & ipse Italus, nec Germanis aliàs satis æquus, in suo, quò Regiomontanum celebravit, *Elogio*, Num. 144. hunc nostrum, ob decimam Sphaeræ, inclusas diurnam rotatione rapiens, inventum, ab Italis, Thaleti, Eudoxo, Calippo, ipsiqve Ptolomæo antelatum esse, testis est. Quamobrem & tantam ejus famam Sixtus P. IV. permotus, illum tandem in Italiam, (quam jam antè passim docendo peragraverat) quò annum, ex vetustà intercalatione fastis minimè respondentem, ad statas ex cursu lunæ Cere monias Paschales revocaret; pertraxit, *Ratisbonensemq;* ob id *Episcopum* designavit; etsi Romæ, a *Trapezuntii* filiis, eò quòd nonnullas illius translationes, è Graecis autoribus factas, taxaret, brevi venenò extinctus fuerit; nisi eum, cum *Jovio* l. d. peste ibi correptum, periisse dicamus. Dedit porrò Germania nostra *Erasmum Reinboldum*, *Salfeldensem*, qui laudatis antè Regiomontani inventis, *Tabulam Tangentium*, *Riccioli* fatente, adjunxit; cui porrò *Georg. Joachimus*, à patria (istius seculi more) *Rheticus* dictus, *Canonem Secantium* addidit. Dedit *Barthol. Pitiscum*, *Silesium*, qui magnum postea *Canonem Sinuum*, *Tangentium* & *Secantium*, ad initium *sinemq;* *Quadrantis*, usq; ad singula secunda *scrupula extensam*, 12. cyphrarum radiò usus, edidit, quem verò *Lib.* non nisi solius *Riccioli* laudatione, hæcenus equidem novi. Ex quibus quis non videt, *Germanorum*, suorum etiam hæc in parte *Pædagogorum*, ingenio & industria illud sanè, cujus per universam hodie *Mathesin* immensus usus est, deberi? quò nostratium sudore ac labore, hem! quam commodè nunc fruuntur, quantumq; sublevantur exteri, qui, quicquid inde compendii ac perfectionis subtiliori accrevit calculo, iis (velint nolint) acceptum referre coguntur; etsi nunc in Germanos (quòd de Aristotele, suo olim discipulo, Platonem conquestum esse, *Laërtius* in *Vita* Ej. retulit) *mulorum instar recalcitent*. Neq; tamen hæc nos, qui nullum unquam exterorum suam, quam meruit, laude fraudandum esse ducimus, sed cum *Schei-nero* nostro (in *Rosa Ursina*, L. I. c. 8.) credimus, non solum *Germania*, etiam *aliis ridere Apollinem*; negabimus, *Job. Nepperum*, Baronem Scotum, multum quoq; præstitisse, invento deinde, An. 1614. *Canone Logarithmorum mirifico*. At hunc tamen mirificè postea illustravit *Job. noster*, *Keplerus*, *Mathematicus incomparabilis*, quem ipse in cælum passim evehit *Ricciolus*, qui illos *Logarithmos*, ne & in illos nulla nostratium essent merita, justà de-

monstra-

monstratione primus firmavit, & ad Chiliadem numerorum vulgarium applicavit. Quemadmodum & postea *Benjamin Ursinus*, itidem nostras, novum (eumq; meliorem, quia auctiorem) *Logarithmorum Canonem* improbo studio concinnavit, editò *Magno Canone Triangulorum Logarithmico*, è sinu toto 100000000. usq; ad scrupulorum secundorum decadas diducto, Colon. A. 1624. Nolo multis nunc ea persequi, quæ in perficiendâ numeri harmonici doctrinâ, sive *MUSICA*, nostra quoq; natio, & ut alia ex illa præteream nomina, vel solus *Athan. Kircherus* præstitit, editâ *Musurgiâ Universali*, sive *Arte magnâ Consoni & Dissoni*, (etsi nonnulla *Marcus Meibomius*, cui & ipsi ob productos imprimis *Antiquæ Musicae Autores* non parùm debet *Musica*, in illâ desideret;) ut & *Phonurgiâ* suâ, in quâ sibi etiam inter alia nobile illud *Tuba Stentrophonica* *εὐρημα*, quod ex *Angliis Salomon Morlandus*, sing. L. nomine *Stentrophonici* scriptò, tribuere sibi ausus fuerat, p. 112. vendicavit. Ejus quippe Viri, ab ipso etiam *Ricciolo* adedò celebrati, ingenio & industriâ, quantum ceteris quoque *Matheseos* partibus accreverit, tot insignia illius Opera, totqve ac tam variis inventis, rarissimisqve experimentis distincta, ab *Andr. Schotto* fermè in Epitomen redacta, omni ævo loquentur.

In *OPTICAM* (quæ *radium* metitur; ut *Musica, sonum*;) non vulgaria quoque *Germanorum* sunt merita; taceo scripta hujus argumenti, luci à nostratibus exposita, cedro omninò dignissima: *Scheineri Oculum*, *Kepleri Epitomen Optica*, *Kircheri artem magnam luctu & umbrae*, ejusque hic *Epitomatorum Kolhansum*, *Treberi Nervum Opticum*, *Zahnii Oculum artificialem Telodiotricum* &c. illud solùm dicam, *Tubos* nempe *Opticos*, incredibili hominum bono nunc inventos, *Johanni* etiam *Lippersen, Vefaliensi*, cujus socius *Zach. Johannides* fuit, deberi, id quod *Petr. Borellus* ex ipsis *Middelburgensium Archivis* (apud illos enim tum degerat noster) singulari Libro 1655. docuit; quorum & postea construendorum ratio, ne quid hac in re deceptionis metuendum ulli esset, a nostro *Keplero*, nec non *Scheinero*, solidè statim fuit demonstrata. Unde manifestum est, quàm iniquè invidus *Galileus Galilei, Italus*, Magn. Ducis Florentini quondam, & maximi quidem nominis, Mathematicus, fuerit, dum hoc sibi inventum, more suo, asserere haud erubuit; reprehensus ob id, præter alios, à *Leone Allatio*, in *Apibus Urbanis*, p. 119. velut idem ipsi *Sebeinerus* exprobat, in *Rosa Ursina* L. 1. C. 8. fin. etsi eum ita *Erythreus* excusare studeat, (*Pinac.* l. p. 280.) ut dicat, eum *Venetis* comperisse, *instrumenta* hujusmodi *inventa in Germania esse*; ac deinde mox domi rem tentasse cum fistula plumbea, ex Organo detractâ, sicq; id ipsi statim successisse; quibus tamen primâ inventionis gloriâ Galileum privat

privat Erythraeus. Quid verò? quòd Cl. *Mabillon*. in *Itinere Germanico*, p. 49. sq. meminit, in Scheyrensi Bavariae monasterio, visum sibi MStum antiquum, à *Conrado* quodam Monacho exaratum, in cujus folio tertio, *Astronomiae* imago picta esset, *adjunctam habens à dextris Ptolomaei effigiem, sidera contemplantis, ope instrumenti longioris, quod, instar Tubi Optici, quatuor ductus habentis, concinatum fuerit, additque: Conradum, hujus Codicis Scriptorem, ante Annum 1241. vixisse, affirmat Stephanus Abbas, in limine praedicti Chronici, (intelligit Chronicon istius Monasterii, A. 1623. editum) ubi, qvæ de illo Tubo vidimus & scribimus, observat, conjicitq;, Conradum hoc instrumenti genere usum. Qvò magis mirum, quòd Rogerius Baconus (qvi Ann. 1270. vixit, inqve *Mstus* quibusdam libellis, in *Bibliotheca Oxon.* asservatis, ut: in *Compendio studii Theologici*, in *Libris Communium naturalium*, in *Epist. ad Clementem P. IV.* & in *Opere de Utilit. scientiarum*, aliquam Philosophiae illorum temporum historiam recensuit, è quibus loca quaedam excerpta Libro I. *Historia & Antiquitatum Oxoniensis Universitatis*, ad Ann. 1272. inseruit *Ant. Wood*; ) in *Op. de Perspectiva Oxoniensium*, tradit, Julium Cæsarem, ope *Telescopii*, e littore Gallicano, portus Angliæ, urbesqve maritimas spectasse, cum bellum in eas meditaretur; etsi nesciam, quò illud argumento probare potuerit, cum omnes, quod sciam, historiae de eo sileant. Ipse certè Baconus Tubos adhibuit, utpote quorum ipsi usus Magiæ crimen tum peperit; nec se tamen primum inventorem jactavit, sed ad antiquissima eos tempora retulit. Illud tamen certum interea est, ejus rei notitiam defuisse postea omnem, tandemqve, cã, quã *Borellus* l. d. refert, ratione Tubos denuò inventos fuisse; unde neqve sic Germanos hæc fraudari gloria, in confesso est. Quod verò *Schottus*, in *Magia Telesc.* Synt. 1. C. 1. inventionem primam *Job. Bapt. Porta* attribuit, nescio, an plus fidei apud aliquem invenerit, quàm id, quod *Adrianus Metius* suo illud fratri adscribere similiter conatus est; cum pro inventore Germano, præter laudatum *Borellum*, stent *Anton. Mar. de Reytha*, in *Oculo Enochii & Eliæ*, L. 4. *Sirturus*, P. II. C. 1. *Telesc. Fromondus* L. 3. *Meteor.* C. 2. aliiqve. *Teledioptricã* autem hac arte inventã, multum jure sibi meritò gratulatur Germania. Hæc enim ars illa est, multarum artium genitrix, tot scientiarum fax, innumerorum emolumentorum, tam in rem literariam & Philosophicam; quàm civilem, militarem & œconomicam conducentium, parens, humanis singulariter usibus destinata, Ars Artium Magistra, Clavis illa naturæ, qua tot jam admirandorum ejus effectuum spectacula, abditaqve divinæ sapientiæ miracula, in mundo *Elementari*, *Hookius*, (in *L. Angl. Or Physical description of minute Bodies, made by magnifying glasses, with ob-**

*serva-*

servations and Inquiries there pon.) *Malpigi* & *Grewius*, in *Anatomis Plantarum*, *Perr. Borrellus* & *Henr. Powerdus* in *Microscopicis Observationibus*, aliique; in *Sidereo* verò, præter nostrates, *Galilaus*, *Cassinus*, *Gassendus*, *Cartesius*, *Hugenius*, *Hallejus*, *Bullialdus*, *Langrenus*, *Harroccius*, *Campanus*, aliique (quam in rem singul. istiusmodi *Observationum Astronomicarum recent. Mappa* faciet, quam Londini produisse, *Beccherus*, in *Stulta Sapientia* p. 123. scribit) referarunt, & feliciter panderunt. Enimverò, *Tuborum* mox beneficiò cœlum ipsum accuratiùs petiit mortalium curiositas, quibus nihil tunc erat arduum. Hinc statim tot *novæ* se nobis prodiderunt *stellæ*; hinc *Galaxiam*, non aliquod *aëris meteoron* esse, ut Aristoteli creditum fuerat, (etsi id jam, in media olim Schola Aristotelea, *Ammonius*, *Olympiodorus*, *Philoponus*, refellerunt) sed infinitam stellarum non nisi armato istiusmodi oculo observandarum segetem, orbi certò patuit: *Qvi* & stupefactus, admiratus est, istum fundamentalem quasi *Astrologorum* hætenus articulum, de *Planetarum septenario*, falsitatis ita nunc argui & convinci, conspectis novis quibusdam, quos vocant, *Jovis Satellitibus*. Hos autem primum *Simonem Marium*, *Francum*, Mathematicum *Brandenburgicum*, observasse constat, qui & *sidem* illos *Brandenburgica* dixit, etsi hæc, manifestâ iterum fraude, sibi hæc primùm observata fuisse, persuadere orbi conatus sit *Galilaus*, qui eadem, in *Mediceorum* honorem, *Medicea sidera* appellandi sibi jus arrogavit. Etenim noster ille *Marius*, velut ipse in *Mundo suo Joviali* ostendit, jam An. 1609. ea observârat, Mense *Novembri*; quas tamen *Observationes* suas, etsi quotidie continuatas, d. 29. Decembr. demum literis consignare cœperat. Hæc verò *Galilaus*, de *Marii* fortè observatis jam factus certior, Anno seq. 1610. d. 7. Jan. incepit eadem contemplari, suasquæ statim *observationes*, ab illo die, usque ad d. 2. Mart. ejusd. anni productas, *Sidereo Nuncio* editò, publicavit, seqvè primum istorum *Phænomenorum* observatorem gessit; cum *Marius*, qui sua hæc de re *Observata*, usque ad Ann. 1614. continuata, tunc quidem demum, vulgatò *Noriberge Mundò Joviali*, edidit, se jam ante *Galilaum* hæc observasse monuerit, provocando ad testem tunc viventem & nominatum, *Virum Nobilem & Srenuum Dn. Joh. Baptistam Lenccium*, a quo & hunc in usum novo & præstantiore *Tubo* donatus ipse fuerit. Unde non potuit hoc non gravissimè offendere *Galilaum*, ægerrimè ferentem, istam nunc gloriam, quæ se in suo jam *Nuncio Sidereo*, & in *Epistolis ad Velsrum*, inferiùs nominandis, tam superbè jactaverat, Germanis ita vendicari. Quamobrem postea in suo *L. cui tit, fecit: Il Saggiatore*, à pag. 3, ad 5, amoliri hæc *Marii*

C

objecta,

objecta, sed frustra, conatus est, nec adeo (quia a Leone Alkatio l. d. Mart. Horckio, aliisque, furti hæc nihilominus reus agitur) meliori cum successu, quàm Germanis Tuborum inventionem, ac primam macularum solarium (de quibus mox) observationem, suffuratus idem est. Quemadmodum ipse sibi quoque nobile illud inventum de distantis meridianorum, omniumque adeo locorum longitudinibus, per Jovialium istorum eclipses, exactè indagandis ac corrigendis, tribuit; quod Petr. tamen Herigonius, (T. 5. *Curſus Mathematic.* p. 872,) biennio antè, quàm a Galilæo vulgatum sit, sibi jam in mentem venisse ostendit. Sed in viam. Illud verò & inauditum fuit *Φαυό-μενον*, quod Tubi quoque Optici ope Orbi innotuit, fulgidissimum illum mundi oculum, Solem ipsum, fumos quasi & fulgines subinde emittentem, maculis & faculis, iisque scæpe lunæ, vel dimidiæ terræ magnitudinem æquantibus, quandoque varium conspici, quod & ipsum Christophorum Scheinerum nostrum, Jesuitam Ingolstadiensem, Mathematicum meritorum gloriâ illustrem, primum habuit Observatorem, qui An. 1611. Mense Mart. Tubo, solis diametrum observaturus, illud fortuitò primùm invenit, & deinde e parallaxeos carentiâ, non hæc novos Planetas (uti quidem præter alios credidit Carolus Malapertius, qui maculas istas sidera Austriaca, singulari L. isto etiam nomine inscriptò, appellavit) sed fumos quasi quosdam, e sole proximè egressos, ab ortu in occasum circa solem motos, nunc durabiliores, nunc citius evanescentes, solemque adeo non nisi formaliter ignem esse, secus quàm Aristoteles, aliique Veterum (ab ipso quidem Democrito, Anaxagora, Anaximandro &c. quos Ricciolus L. III. *Almag. Novi C.* l. n. 3. adduxit, jam olim confutati,) existimaverant, certò conclusit, maximaque cum industria, quæ tam studiose observaverat, postea publicavit, ut & ipse Ren. des Cartes, *Princ. Philos.* P. III. n. 35. nihil in hoc genere diligentius desiderari posse, testetur. Hæc tamen iterum, sive invidiâ erga Germanos stimulatus, sive laudis suæ nimis avarus,

*Ignavusq; sedens aliena ad pabula fucus,*

Galilæus iste, hujus sibi quoque inventionis gloriam vindicare annisus est, sed pari, quàm olim aliquoties in talibus fecerat, successu. Prodierat enim An. 1612. *Augustæ* in 4. *Liber* aliquis, cui nomen: *Apelles post tabulam, h. e. Epistola 3. de Maculis solis & faculis, data ad Cl. Virum Marc. Velsærum* (sc. a Scheinero, primo, quem dixi, Observatore, qui tunc post illam *Tabellam* initiò latere malebat, ut judicia aliorum de re nova & insolente exploraret;) eodemq; postea anno Velsærus, tres quoque alias Scheineri *Epistolas*, quibus ipsi, ut amico, novas istas observationes amplius communicaverat, edidit, sub

*tit,*

tit. *Disquisitionis accuratioris, s. Tabula auctoris*, adhuc tamen sine *Scheineri* nomine. Tum verò *Galileus*, quòd apud Italos suos, & alibi quoque, laude multò haberetur maximà, ut se hujus tam admirandi phænomeni autorem persuaderet suis, seqve (quod ipsi cognomen ex *Lyncæorum* tum *Academia* erat) *Lynceum* esse, re ipsà ostenderet, manibus pedibusque obnixè fecit omnia. Velferus enim, edità a se istà, quam dixi, *Apellis Tabulà*, mox eam *Galileo* miserat, ejus quoque judicium de re tam inaudita exploraturus; ex eo verò tempore & *Galileus* cœpit hæc tandem contemplari, & amicis ostendere, dissimulatò verò autore, ac Velfero post 4 demum Menses respondit, missà aliquà Epist. ubi se jam ante 18. Menses hæc talia amicis ostendisse, jactat, quam longè post duz adhuc hujus argumenti secutæ sunt, in quibus *Apelli* isti, quasi plagiatario suo, insultavit. Illas verò nunc Epistolas *Galileus* publicandas decrevit An. 1613, ut crederet orbis, eum admirandæ hujus rei primum observatorem omninò extitisse, prodiit itaque tum *Ejus Istoria & demonstratione interno alle Macchie solari & loro accidenti, composte in tre lettere scritte al Sig. Marco Velfero a Roma 1613. in 4. annexò in fine Apelle post Tabulam*, omiſſis tamen diebus, quibus *Scheinerus* suas has Epistolas ad Velferum dederat. (Unde &, quod vel obiter noto, factum credo, quòd *Scavenius*, cum aliquibus, *Apellem post tabulam*, *Galileo* etiam attribuerit, in *Catalogo suo Autorum, qui suppresso vel ficto nomine prodierunt*;) Immò audacior postea factus esse *Galileus* visus est, fortè quod videret, adhuc *Apellem post tabulam* suam latere, neque hæctenus (quæ *Scheineri* nostri modestia erat) nomine suo prodito in lucem profiliisse, huncque *Sutorem, ne ultra crepidas*, monuisse. Unde postea An. 1623. denuò *Librum Italica lingua scriptum evulgavit*, cui nomen *Trucinatoris (Il Saggiatore)* fecerat, ubi iterum *Apellem* istum furti reum agere conatus est, aliaque nostri *Scheineri*, ut de *Sole elliptico, & Refractionibus caelestibus*, inventa, antè etiam ab illo publicata, pungere & exagitare (p. 209. l. d.) sustinuit. Sed furor fit læsa læpius patientia, nosterque adeo *Scheinerus* Anno tandem 1630. (quò & ipso *Galileus Systema suum Cosmicum* publicavit, ubi rursus *Dial. 3. p. m. 338. ed. lat. vanos, sed breves, contra istum Apellem, qui nunc Tabulam ipse relinquebat, triumphos agit*;) Opus suum, 4. libris in fol. compositum, edidit, cui ille nomen *Rosæ Ursinæ, s. Solis, ex admirando facularum & macularum suarum phænomeno Varii*, indidit, quò tot annorum accuratissimas circa has maculas observationes, cum iconismis macularumque delineationibus, æri incisis, complexus, curiosum hoc argum. copiosè pertractavit, simulque de cœli liquiditate, solis circa suum axem gyratione, aliisque hujusmodi curiosissimis



riofissimis quæstionibus, pereruditè egit. Et sanè causâ hæc cecidisse *Apelles* noster videri potuisset, nisi toto hõc opere, inq; I. præcipuè Libro, sibi, nostræq; adeò nationi, istam inventionis gloriam, contra injustum hunc invasorem, tandem vendicasset, quod & abundè ibi præstitum videmus, ut adeo vel ipse *Ricciolus*, homo Italus, in *Chron. II. & Almag. Novo L. 3. c. 3.* hanc *Scheinero* laudem denegare non potuerit, *Allatio* quoque (in *Ap. Urb. p. 68.* ubi de hoc *Scheineri* Opere agit) fatendum fuerit, satisfactum ab eo omninò Galilæo fuisse. Neq; ideo est, ut fidem huic *Allatio* denegemus, quando sincerè satis idem p. 119. l. d. profitetur: *Galileum alienos sibi labores furto assertos, ut Telescopii inventionum, & sidera Medicea, parum cautè divertisse, multi & voce & scripto palàm professi sunt.* Alios verò hujus furfuris fures, qui his solaribus se illustrare tenebris, maculisque condecorare coelestibus pulchrum sibi duxerunt, omitto. Neque enim (quod vel obiter addo) fidem invenit, quasi a *Davidis Fabricii*, Astronomi Frisii, filio, hoc Phænomenon, ante *Scheinerum*, observatum fuerit, quod apud *Keplerum*, in *Ephemeridibus*, legimus; vel huc adeò pertinet, quod jam olim nigricans aliquid in ☉ viderit *Aven Rodan*, teste *Mirandula*, in Lib. contra Astrologos; aut *Averroes*, teste *Copernico L. 1. Revolut. C. 10.* seu, quod simile quid in ☉ deprehensum sit, An. C. 807. autore *Adelmo*, in *Vita Caroli M.* aliisque istius ævi scriptoribus; aut denique, quod tale quid noster etiam *Keplerus* jam 1607. observârit, d. 28. Maji, (ut est in ipsius *Ephemeridibus p. 17. sq.*) quia id vel *Mercurius sub sole* fuit, vel saltem esse tunc est creditus. Motus autem siderum, quantum ille non exercuit nostratum imprimis ingenia? Quantum inter Astronomos nomen suò nactus meritò sit *Nic. Copernicus*, quis non audivit? quo de Doctore ipsa sibi aliquando Italia gratulata fuit, digno, qui vel à *Sealigero* ἀνὴρ παντὸς λόγῳ κρείττωσιν appellaretur, quiq; quantum suo ævo fuerit, ex *Vita*, quam ipse *Gassendus* describere non dedignatus est, luculentè conspicitur. Quantò non celeberrimorum etiam Mathematicorum applausu excepta est illa ejus resuscitata de Terræ circa solem rotatione hypothesis? etsi eandem jam antea abstrusæ sanè & reconditæ doctrinæ Virum, ab ipso quoque *Ricciolo*, in *Chron. II. Math.* tanti æstimatedum, *Nic. de Cusa* Cardinalem, ipsum etiam Germaniæ, imò *Europa*, decus suo seculo haud vulgare (quod vel hodiè Ejus, quæ aliquot *Tomis* prodierunt, *Opera* testabuntur) tradidisse, *Jordanus Brunus*, Doctiss. Italus, in Lib. de *innumerabilibus* olim docuit, quod aliis postea ad nova mundi Systemata efformanda cessit, *Copernicus*q; majori diligentia & curâ deinde exornavit. Ubi tamen vel obiter mirari subit, cum in ipsa adeò Romanâ Curia hoc quon-

quondam dogma vigerit, (ubi conferri potest Epist. Foscarini ad Fantonum, Generalem Carmelitarum, Neapoli 1615. cum approbat. impressam, quòd nec *Scripturæ* S. nec *Patribus* hoc dogma adverteretur;) id nihilo potest minus, ut hæreticum, à Paulo P. V. cum congregatis Cardinn. Romæ 1616. notatum, obque id *Galilaum* (qui in 4 *Dialogis* suis de *System. Mundi*, astute id defenderat) ad poenam tam gravem, An. 1633. ab *Urbano* P. IIX. damnatum fuisse. Porro istud, quo vel imprimis recentior, præ antiqvâ illâ, superbit *Astronomia*, *Ellipticas* pato, tot circularum intricatissimorum innumerabiliumq; locò assumtas, admirando *Kepleri* nostri ingenio Orbis debet *Mathematicus*, & ex parte nunc post *Bullialdum* quoque *Zimmermanno*, ejus hanc in rem Dissert. Stutgardiæ 1679. 4. lucem aspexisse constat. Quid erit nobilissima siderum scientia sine *Tabularum Astronomicarum* adminiculo? has verò, etsi olim *Ptolomeus* pro virili tunc suâ concinnaverat, & sec. XIII. *Alphonsus*, Castiliæ R. ob tantam jam cum cælo discrepantiam, convocatis undique Maurorum, Arabum, Sacracenorum Judæorumque Astronomis tunc peritissimis, impensisq; 400000 aureorum factis, (si *Ramò*, L. 3. *Scholarum Math.* & *Reinholdo* in *pref. Tab. Prutenic.* ipsique *Tychoni*, in *pref. Progymnasmatum* T. 1. ad *Rudolf. II.* Imp. credimus; etsi *Bullialdus* in *Prolegg. Astronomiæ Philolaicæ*, 4000. ponat,) corrigere studuerat; neque sic tamen Mathematicorum desideriis satisfacere posse, sensit, qui & medicam eis manum Anno jam 1440. adhibere constituit, laudatus *Cusanus*; donec, post nostrum etiam *Job. Schonerum*, qui & ipse jam antè *Tabulas* ejusmodi, quas *resolutas* appellavit, construxerat (teste *Ricciolo* l. d. & *Thuanano* L. III. *Hist.* p. 162.) suas tandem, communi *Astronomiæ* bono, *Tabulas Prutenicas*, cum *Ptolomaicis*, imò & *Alphonsinis* istis, nullo pacto comparandas, Ann. 1551. produceret *Erasm. Reinholdus*, *Salsfeldensis*, quem magnificè laudatum apud ipsum *Thuanum*, L. XII. *Hist.* p. 575. & *Ricciol. Chron.* II. iterum videmus. Sed & quicquid adjumenti *Tychonis de Brabe* 30. annorum *Observationes* præstiterunt, id subtili judicio, improboque labori, excellentissimi Astronomi nostratis, *Jo. Kepleri*, trium Imperatorum Mathematici, attribuendum esse, quis non videt? ille enim inde celeberrimas *Tabulas*, quas ab Imperat. nomine *Rudolfinas* vocamus, procudit, quæ certè (etsi *Ismaelis Bullialdi Tab. Philolaicis*, & *Riccioli* quoque illis, quas in *Astronomia sua Reformata* dedit, sua etiam apud nos laus sit) plerorumque omnium Astronomorum usus hodiernum inserviunt. Harum verò splendor *Philippi Lansbergii Tabulas*, tanto cum strepitu ab eo in Batavis publicatas, adeo obscuravit, ut nunc perpetuam hæc pati eclipsin videantur. Neque illud hæc

tacendum puto, quòd *Rudolphinas* etiam *Tabulas*, formina quædam *Silesia*, suis & ipsa meritis, & quòd summopere mireris, in hoc quidem studiorum genere, Patriam nostram illustratura, in compendium redegerit, immò difficiliore calculo facilitatò, modum Tabb. ejusmodi construendi Latine ac Germanice docuerit, aliàs intricatissimum; qui L. etsi rariore est, utpote à Jesuitis, ut fertur, malevolis igne deletus, à Patrono tamen aliquando singulari communicatus mihi fuit, ubi Tit. hic erat: *Maria Cunitia Urania propitia*, sive *Tabulæ Astronomicæ, vim hypotheseum Physicarum Kepleri, sine ulla Logarithmorum mentione, Phenomenis satâfacientes*, Lat. Germ. Olse. 1650. fol. Quid autem de *Job. Hevelio* Cos. Gedanensi, illo nostri seculi *Hipparcho* dicam? incredibile dictu est, quot & quanta incrementa ab incomparabilis hujus, & ab orbe condito facile solertissimi felicissimique cœli Observatoris, laboriosissimis pariter & accuratissimis observationibus, non exactissimâ minùs curâ, quàm instrumentis longè probatissimis institutis, accepta sibi univèrsa gratuletur Astronomia. Testor Ejus *Selenographiam*, cum *Appendice*, & *Heliographicas Observaciones*, cum *Orbis Jovialis motu*; *Machinam cœlestem*; *Cometographiam cum Prodomo*; *Mercurium in sole visum*, *Venerem in sole visam*, & *Historiolam stelle miræ*; *Dissertat. de nativa Saturni facie & variis phasibus*; *Observationem Eclipsos solaris 1656. & Dimensionem Diametri solaris*; *Epistolam de motu Lunæ libratorio, in Tabb. redactò*; *Epistolas ad Eichstadium, Ricciolum, Nucერიum, Gassendum, & Bullialdum*, quos, omnesque rerum Astronomicarum peritos & amantes (ne de Magnatibus dicam, qui sua etiam visitatione eum non indignum judicarunt) tanta illius tum admiratio tum veneratio infedit, ut, dum viveret, suis hoc ad ipsum literis sæpissimè testarentur, eiqvè applaudent, è quibus *Excerpta* quædam, judicia imprimis de rebus Astronomicis, observatisque ac scriptis Hevelianis, continentia, dedit *Job. Henr. Olhoffius*. Quamobrem & *Heveli Cenotaphium*, in æternam ejusdem memoriam, meritò nuper erexit *Dn. Schmidenius*. Immo testor vel imprimis, quòd penè omiseram, *Hevelii nostri Firmamentum Sobiescianum, Prodomum Astronomie cum Catalogo Fixarum*, incredibili industriâ quoad earum tum longit. tum latitud. accuratissimè determinatarum, post tot aliorum, imperfectos tamen adhuc, in hoc negotio labores. Et horum tamen etiam plerosque Germanos fuisse constat, inter quos *Christoph. Clavius*, *Bambergens.* qui *Catalogum fixarum* Ptolomaicum, 48. astris, ab ipso olim determinatis, constantem, è *MSto Cod.* correxit, & errata, quæ non *Arabicis* tantum Versionibus, (quas secutus *Alphonsus* fuerat) sed & translationi *Trapezuntii* (licet

(licet à *Luc. Gaurico* recognita; ) irreperant, fustulit. *Christoph.* postea *Griembergerus*, *Oeno-Halensis*, *Clavii* Discipulus, & in Cathedra Romana successor, *Catalogum Affixarum*, adjunctâ 50. Imaginum cœlestium duplici perspectivâ, una è mundi polis, alterâ ex ejus centro ductâ, concinnavit, tum ex *Tychonis*, quem hujus mors imperfectum reliquerat, tum ex *Franc. Pifferi Catalogis* collectum, iis quæ defuerant, è *Clavio* suppletis, stellarumque longitudinibus ac latitudinibus antiquis cum novis collatis, quo nomine vel imprimis à *Ricciolo* in *Almag. Nov. T. 1. L. 6. C. 6. & Chron. II.* celebratur. Etiam *Jo. Bayerus*, editâ *Uranometriâ* suâ, An. 1603. Catalogum fixarum, 60. asterisimis comprehensarum, ex Ptolomaicis, Arabicis, Turcicis & recentiorum Nauclerorum observationibus confecit. Donec tandem & *Keplerus* noster (ut *Julii Schilleri Cælum stellatum Christianum*, novis ad *Bayeri Uranometriam* astrorum imaginibus suppeditatis Ann. 1627. editum; *Jac. Bartschii Planisphaerium stellatum*; *Schickardi Astroscopium*; *Job. Ad. Sciabi, Tabulam stellarum*, Sinicè, *Ricciolo* in *Chron. II.* teste, editam, &c. taceam) *Fixarum Catalogum* construxit, quem in *Tabb. Rudolfinis* p. 105. inque tres partes distributum, habemus, ubi (1.) pars habet 1000. ex *Tychonis* Schedis accuratiores; (cùm in editis *Longomontani* ac *Tychonis* Catalogis nonnisi 858. habeantur,) (2.) alias, tum *Ptolomaicas*, à *Tychone* nondum observatas, èquè Græco potius Codice, quàm Arabum versione, correctas, (quas sc. *Ptolomeus*, è vetusto *Hipparchi Catalogo*, in ordinem digesserat, emendaveratque) tum & quasdam ab ipso *Tychone*, sed minùs accuratè, observatas; (3.) illas, quæ in temperata nostra Zona observari non poterant, sed à recentioribus tunc Naucleris, ultra Æquatorem progressis, sc. *Americo Vesputio*, *Andr. Corsalio*, *Petr. Medinensi*, & præcipuè à *Frid. Houthmanno* in *Sumatra*, *Ind. Or. Insula*, observatæ fuerant, sistit; ut aded 62. astra ipse confecerit, in quo hunc Nostrum ex exteris quoque *Blancanus*, L. 17. *Sphaer.* & *Bullialdus* in *Tabb. Philolaic.* p. 180. secuti sunt. Et Horum tamen omnium labores noster demum *Hévelius* longissimè superavit, in accuratissimo suo, quem dixi, *Catalogo*, ubi in 78. Asterisimis, stellas 1888. omnes à se denuo perfectissimis suis instrumentis accuratissimè mensuratas, dedit, exceptis solùm *Australibus* quibusdam, quas Ei *Edmundus Halleyus* à se in *Insula S. Helenæ* observatas, communicavit. Quamobrem Eundem summus ille Mathematicus, *Weigelium* nostrum innuo, in novis & emendationibus suis globis, quod ad fixarum positum attinet, nunc sequitur, qui certè Vir nulli hodie vel ingenii subtilitate, vel judicii acumine, vel laborum solertia, vel inventionum gravitate ac meritis cedit, aut unquam cessit,

cessit, aut fortè unquam cedit. Quis enim non admiretur, ejus, quos dixi, novos terræ cælique globos, ubi in his non solum tot veterum *vista* (ut sic loquar) *mathematica* sustulit, dum (1.) Columnas, quibus infra globus, contra cœli naturam, olim sustineri solebat, sustulit, spatio solum mundano, in quo globus rotetur, repræsentans; (2.) pro horizonte antea immobili, nunc rectius mobilem fecit, ne ipse globus situm mutare necesse habeat; (3.) æquinoctialem, tropicos & polares circulos, extra globi superficiem, ut natura rei exigebat, constituit, ne in globo ipso cum fixis amplius circumcurrant; (4.) Eclipticam ita quoque mobilem, & extra globi superficiem fecit, ne annorum 72. spatio globus posthac, ut antiqui, toto gradu (ob motum etiam aliqualem proprium fixarum, ab occasu in ortum, observatum) erraret, sed omnibus etiam seculis quadraret; (5.) effecit, ut stellæ non in superficie tantum, sed vel imprimis, velut nos è terra contemplamur, in globi concavo conspici queant; (6.) Circulum etiam horarium, nimis antea exiguum, æquatori æquavit, quippe cujus nunc vices ipse quoque æquinoctialis circulus sustinet, in quo adeo non modò horæ, sed & minuta indicari possunt; (ut plura alia, utilissima, necessaria, imò & ex parte curiosa, quæ addidit, ipseque An. 1681. sub Tit. *Kurze Beschreibung der verbesserten Himmels- und Erd-Globen* / fufius descripsit, nunc omittam) sed & *virium physicum*, dum ex materia durabiliori, omni sc. metallorum genere, globos suos efformat, ut non uni solum homini, sed

*Natis natorum, & qui nascuntur ab illis,*

usui, citra temporum corruptionem, esse possint, correxit; immò & *morale*, post *Schillerum* nostrum, *Schickardum* & *Harsdorfferum*, remove ab iis studuit, dum obscœnarum imaginum locò, alias substituit, tum in varias *figuras Mathematicas* veteres Alterisimos redigendo, tum ex iisdem *Europæorum Principum insignia* artificiosè effingendo, quò eadem simul opera & utilissimè & jucundissimè *Heraldicam artem* sic Astrophillis instillaret, additâ tamen ubique simul veteri denominatione. Non me dissuadendam in varia eaque excellentissima hujus, nostri sanè seculi *Archimedis*, inventa, tum quod exteris ipsis & notissima sint, & æsumatissima; tum quia brevitati meæ, cui studeo, nimis essent obfutura, quæ nec permittit vel pauca saltem ex Catalogo sic satis prolixo recensere, quem ipse *Philosophiæ suæ Mathematicæ* nuper inseruit, ubi, in *Append. partis general.* tot invenias I. *doctrinalia*, ut vocat, (inter quæ *Tetractys* illa est, *Pythagoræorum Veterum Tetracty* respondens, ii ventum certè ingeniosissimum;) tot II. *Civilia*, totque III. *artefacta*, inter quæ *Microgonium* Ejus est, *der Minuten-Weiser*  
*s. index*

1. *index Goniometricus*, inventum omnium confessione præstantissimum, quod jam *Dnm. Lipsienses*, in *Actis Erud.* ad Ann. 1686. M. Mart. p. 126. sperârunt tunc *propediem, tanquam rei Astronomica gratissimum, in publicum proditurum*, etsi id ipse hæcenus nondum, quod sciam, publicaverit descriptum: Omnibus enim Instrumentis goniometricis id applicari aptum est, repræsentatqve unicum v. g. *Astrolabii vel Quadrantis &c. gradum*, nunc (cùm antea, ob exiguitatem, id non admitteret,) in amplitudinem majorem eductum, qui, in minuta sua divisus, singulorum graduum vie adhiberi, eorumqve tam prima quàm secunda minuta discernere utiliter potest, ut adeo & aptissimè minutis *declinationis magnetica*, immò secundis quoque, ad facilitandas multùm has observationes, adhiberi queat; prout jam inde *M. Godofr. Treüberi, Cizensis, Instrumentum novum, variationem magnetis, minori acu, secundùm gradus, minuta prima & secunda exactè monstrans*, natum esse, l. d. *Lipsienses* judicant. Claudit ibi agmen *Pancosmus Weigelianus*, machina sanè mirabilis, quâ totius Mundi, tam cœli quàm terræ, eorumqve accidentium, Phænomena, vel centenis ex parte concava spectatoribus simul ad vivum repræsentantur, quam quia Ipse ibi uberius descripsit, repetere hæc nolo. Sed ad *Astronomiam* revertor, ubi inter istos, qui è nostratibus de illa præclare meruerunt, prætereundus non est *Petrus Apianus, Misnicus*, qui *omnes sui seculi homines*, in his studiis, longè *superâsse* perhibetur, quemq; *Cosmographum summum, & Astronomum perfectissimum*, cui *nemo unquam par extiterit in Astronomicis instrumentis excogitandis*, suo tempore vocavit (in *Vita Ejus*) *Adamus*, quo cum, in eo laudando, ipse quoque *Ihuanus* L. XI. p. 535. concordat. Illud certè ingenii ejus inventum mirabile fuit, quod in suo *Astronomico Casareo* (propter quod à *Carolo V. Imp.* qui eum *ad se accersitum, ob magisterii fidem præstitam, equestris dignitatis ornârat titulò, 3000. aureis numis*, præter munera alia, donatus est) descripsit, ubi rotulis automaticisq; ingeniosissimis, sine calculo, ferè omnia, etiam profundissima, problemata Astronomica expedire docuit, quæ instrumentum, in usum *Caroli V.* ab ipso confectum, in *Electorali*, quæ *Regiomonti* est, Bibliotheca me aliquando vidisse memini. Quòd si porro *Ephemerides* spectemus, ex *Tabb. Astronomicis* concinnandas, illæ sanè iterum à nostro *Job. Regiomontano*, si non primam originem (quod ipsi tamen *Galli*, in *Journal des Scavans* ad Ann. 1666, 5. Apr. concedunt;) hodiernam certè faciem, formamqve suam elaboratiorem nactæ sunt. Ejus sanè *Ephemerides*, in 30. annos compositas, tanto cum applausu & admiratione exceptit Orbis, ut (*Adamo in Vita Ejus teste*,) *singula Exemplaria*

ria XII. aureis Hungaricis venderentur, & quidem appeterentur ab omnium gentium hominibus. Immò à *Matthia Hung. R.* cui opus illud suum dixerat, 800 aureis Hung. ac veste preciosissima, deinde annuo stipendio ab ipso, aliisque Principibus Viris muneribus ditatum illum esse, ipse *Ricciol.* in *Chron. II.* fatetur. Nemo *Italus*, (pergit l. d. *Adamus*) *Gallus*, *Pannonius*, *Sarmata* aut *Germanus* simile *Calendarium* viderat, *Veneti* etiam in *Graciam* invehbant. Laudandi hinc pariter essent *Job. Stoeferus*, *Mich. Maëstinus*, *Rheticus*, *Keplerus*, *Eichstadius*, *Heckerus*, *Kirchius*, aliique è nostris plurimi, suo sanè merito *Calculatoris* nomine, (quo *Richardum Suisset* appellatum quondam fuisse, *Scalig.* in *Exercit.* & *Vossius* in *L. de Mathematicis*, testantur) si quisquam, dignissimi, in accuratissimis *Ephemeridibus*, summo iudicio ac studio elaborandis, tantà cum laude versati. Nunc porro quoque, *Argoli Ephemeridibus* unà cum seculo ad finem decurrentibus, similem, at perfectiorem longè, laborem, 200. annis satisfacturum, *Dethle-vus Cluverus*, *Holfatus*, Collegii *Angl.* Socius, celeberrimi istius *Polyhistoris*, *Job. Cluveri* nepos, sperare non ita pridem nos à se iussit. Cujus *Vir* profunda quoque in *Geometricis* inventa, aliquoties jam in *Actis Erud. Lipsiensis* orbi denunciârunt *Mathematico*: Imprimis profundissima illa, circa *Circuli quadraturam*, novà planè methodo demonstrandam, cogitata, summâ peritissimorum *Mathematicorum* admiratione & applausu excepta; etsi vexatissimum illud problema, quodque (dum vel in proverbium abiit) *Geometrarum Crucem* meritò dixerim, tot jam *Herculea*, omnium etiam temporum ac nationum, excruciauit ingenia, quippe non ipsius olim *Archimedis* solum, *Dinostrati*, *Nicomedis*, *Spori Niceni*, *Apollonii Pergæi*, *Philonis Gaditani*, *Ptolomæi*; (quos *Ricciolus* nominat, in *Almag. Novo*, T. I. L. IX. Sect. 4. C. 39.) sed & nuperius *Nic. Cusani*, *Jo. Regiomontani*, *Apiani*, *Scaligeri*, *Christmani*, *Franc. Vietæ*, *Adriani Romani*, *Joach. Prætorii*, *Longomontani*, *Lansbergii*, *Saliceti*, *Georgii à S. Vincentio*, *Leotaudi*, aliorumque plurium, quorum adhuc aliquos *Schottus*, in *Techn. Curiosa*, toto L. 8. recenset. Quemadmodum illam *diametri ad peripheriam* suam *proportionem*, rationalibus quidem numeris, neminem exactius felicisque; quam *Germanicum* illum *Euclidem*, *Ludolphum à Cöllæn*, *Hildefiensem*, magnum quondam *Batavorum* in *Acad. Leidensi* *Doctorem*, (in *L. de Circulo & adscriptis*, ut & in *Fundamentis Arithmet. & Geometr.* p. 163.) determinasse, a peritissimis harum rerum *Viris* semper iudicatum est. Vid. *Ricciol. Almag. N. T. I. L. I. C. 4.* (ubi eam à *Grimbergero* examinatum & veram repertam, testatur;) & *P. Georg. Behm ap. Schott, Techn. Cur. L. 8. p. 607, nec non Reyhe-*

rum

rum, in *Mathesi Mos.* p. 711. Iste sanè Vir tantâ *Geometria & Arithmetica*, imprimis *Algebrae*, excelluit peritiâ, ut vel hunc unum hæc rectè omnibus exteris æquiparare, multis antepone, facile possimus, utpote qui profundissimis istis problematibus, in Ejus L. de *Circulo*, & aliò, cui nomen *Arithmetische en Geometrische fondamentem*, met het ghebruyck van dien, passim obviis, tum penetrandis, tum solvendis, longè viderentur impares. *Calendaria* etiam, quâ formam habitumque hodiernum, quò *Ephemeridum* penè vices sustinent, itidem *Regiomontano* attribuuntur communiter. Et verò illa per hunc Virum, Romam à Papa ad hoc accersitum, utque plus ad id autoritatis afferret, Ratisbonensem Episcopum creatum, (uti & in Veteri Ecclesia hic ipse labor *Alexandrino* solùm *Archi Episcopo* credi solebat) à tot erroribus procul dubio liberanda fuissent, nisi quò dixi antè modò præventus morte fuisset. Solus postea *Clavius* noster, *Blancani* quoque Præceptor jam antè laudatus, & ut *Ricciol.* l. d. dicit, *unus ex omnibus à Greg. XIII. electus est*, cui tam stupendorum sumtuum labor concrederetur, qui, ejusdem *Riccioli* verbis, adeo excelluit, ut *Germanorum quidam Viri doctissimi Romam eo quoque nomine libenter peterent*, ut *Clavium* --- coram cognoscerent; alii verò dicerent, malle se à *Clavio* vituperari, quàm ab aliis laudari. *Illum Tycho* per literas, illum *Maginus*, illum plurimi *Mathematici insignes*, velut *Oraculum* consuluerunt, &c. Hæc ipse *Italus*, qui & postea, quæ is in *Sphaera Sacroboschi*, in *Sphaera Théodosii*, in *Astrolabio*, in *Gnomonica*, in *Arithmetica & Geometria præctica*, in *Algebra*, in *Triangulorum doctrina*, & aliis in *Operibus* scripsit, propter eximiam perspicuitatem cum solida doctrina conjunctam, sole clariora esse, & suo elogio haud indigere, candidè & ingenuè profitetur. Sed hæc alius quidem loci sunt. Nunc verò quoque Excellentiss. Dn. *Weigelium* nostrum, *Norimbergæ* huic Operi sedulo incumbere, & sublati posthac *Styli novi ac veteris* (ut loquuntur) dissensionibus, universalem *Calendariorum* meditari emendationem, ex Illustris *Wagenseilii* me literis nuper docuit *Magnif. & summè Rever. Dn. D. Fechtius*. Quòd si *ARCHITECTURAM*, eamque vel solam *militarem*, cogitemus, facile licet deprehendere, tanta in eam nostratium esse meritâ, ut nulla in re minùs superemur. Annon ejus in gratiam *Germani bombardas*, *tormenta bellica*, *nitratig.* *pulveris* usum, (qui utramque hodie in oppugnandis defendendisq; munimentis facit paginam) multaq; *artis pyrobolicæ* alia, invenerunt? Quid arte illâ *pyrotechnicâ admirabilius*? cedunt huic nunc (ut *Zahnii* hoc verbis dicam, ex *Præf. Oculi*;) *omnia antiquitatis machinamenta bellica*, neq; amplius tam operose requiruntur *machina*, quas *Bellona* ve-



*us in hominum perniciem & interitum instruxit. Cedunt Balista, currus  
 falcati, ignis jacula, cedunt spicula, Scorpii ad mittendas sagittas, sive fun-  
 dibula. Hoc uno verò pulvere, solisque his tormentis, ingentes aggeres,  
 valla, muri, arces, oppida, immò montes, momentò radicitùs evelluntur,  
 prægrandes naves e mediis fluctibus in vastum æthera projiciuntur, omniq;  
 subitò disrupta compage in mille partes diffringuntur, innumeræ hostium  
 copiæ, non secus ac fulmine afflante, repentiè extinguntur, ut non malè  
 terræ fulmen inde sit appellatus. Neque verò moramur, qui heic rursus  
 Germanorum laudibus invidentes, ad alios vel quoscunqve, hanc gloriam  
 referre præsumunt. Il. Vossii certè sententia, qui in *Paris Observatt. C. 15.*  
 (ubi de Origine & progressu pulveris bellici apud Europæos agit) jam ante plu-  
 rima secula pulverem hunc innotuisse statuit, fidem haud meretur. Quòd  
 enim ad *Jul. Africani* (quem *Severò* Imp. vixisse constat) *Libros Cestorum*,  
 adhuc ineditos, provocat, fortè nihil est, cum illos pro *Africani* non ag-  
 noscant alii. (V. König. Bibl. V. & N. ad hoc nomen.) Neque ista res, bello  
 tam necessaria, saltem utilissima, cum nunquam bella non viguerint, in de-  
 suetudinem adeò venisset, aut oblivione fuisset obscurata. Etiam illi, qui cum  
*Linschotano*, P. II. *Jnd. Orient. C. 26.* Maffejo, L. 6. *Hist. Jnd.* aliisque, pro  
 ipsis *Sinensibus* heic pugnant, oppidò falsi sunt. Etsi enim ita esset; (quòd  
 ipse tamen *Alex. Valignanus*, Italus, inqve India Orientali quondam  
*Sociorum Jesu Præpositus Provincialis*, tandemqve ad *Taicosamam Lega-  
 tus* Proregis Indiae, ac Sociorum *Visitator*, in *Admirandis Regni Cbinensis*,  
 negat; & *Beccherus*, in *Stulta Sapientia* p. 55. sq. vel inde refellit, quòd sic *A-  
 lexander M.* cum bella istis in regionibus gereret, omninò illum pulveris u-  
 sum imitaturus fuisset; neque occulta, tot per secula, publica hæc tamq;  
 admiranda bellandi ratio, finitimis saltem populis, manere potuisset; quòd-  
 que hodiernum pulveris istius usu Sinenses ab Europæis longissimè superen-  
 tur;) nemo tamen, qui ex *Aventini Annal. L. 7.* & *Polydor. Vergil. de In-  
 vent. Rer. L. 2. C. 7.* cognitum habet, qua ratione nitratus pulvis & bom-  
 bardæ, à *Bercholdo Schwarzio*, Monacho Franciscano, apud nos inventæ  
 sint, asserere audebit, a Sinensibus nos hæc talia esse edoctos. Credide-  
 rim verò, præter invidiam erga Germanos, stultum simul nonnullorum,  
 nova quædam & inaudita è peregrinis paucisq; accessis locis referendi, pru-  
 ritum, hujusmodi soepè mendaciorum matrem fieri, uti id nonnunquam ita  
 evenire, manifestò satis exemplò, ex Autore *Atlantis Sinici*, pulcrè l. d. pro-  
 bat *Beccherus*. Nostrates verò, præter ista, etiam Opera & Scripta de *For-  
 tificatoria* Orbi exposuère, nullis exterorum palmam cedentia. Ex quibus  
 tameta*

tamen *Galli* nimis se hæcenus tam varii generis munimentis jactitant, quæ, quasi nesciremus, à nostrate *Specklino*, Civitatis *Argentinae* quondam Architecto, ex pulcherrimo Opere, quod olim jam ipse hanc in rem publicæ luci dedit, mutuata, vixque leviter immutata, pro novis, iisque suis, venditare Orbi non erubescunt. Ne nunc de *Rimplero*, Architecto Militari Casareo quondam *Summo*, (qui in Viennensi obsidione nupera pro Religione & Patria vitam cum sanguine effudit) de *Langio*, aliisque, amplius quid addam: quorum ille, ob defectum figurarum ænearum non satis intellectus, studio quoque obscurior, ut, cum invitus hac de re quid edere juberetur, *Delio natoratore* suus Liber indigeret, qui Francos. in 12. An. 1674. prodiit, sub tit. **Beständiges Fundament zu fortificiren und defendiren / mit ganz neuen maximen gefasset / nach welchen hinfünfftige Festungen in solche defension zu setzen seyn / daß man sich inwendig nicht nur stärker als außwendig / und ohn Verlust vielen Volcks / ohn benötigten schleunigen Entsatz / und ohn einige Abschnitte / bis auffß letzte Bollwerck wehren / und einen Feind alle polygonen zu erobern / obligiren ; sondern auch gebauete Festungen so fest verstärken kan / daß sie noch eine geraume Zeit / und ihrer Größe nach / einige Jahre / zu widerstehen vermögen: quò ille errata defectusque reliquarum methodorum feliciter ivit emendatum ; Cujus quidem egregius interpretes *Langius* futurus erat, nisi, quæ scriptò jam ipse composuerat, præmatura ejus mors nobis invidisset. GEOGRAPHIA verò etiam non ultima Germanorum in se agnoscit merita, in qua restaurandâ inter primipilares stant è nostris *Job. Wernerus*, composito in *Ptolomæi Geographiam* commentario notus; *Seb. Munsterus*, *Job. Stöesleri* nostri, insignis quondam *Tubingæ* Mathematici (ob plurima quoque sua in Mathematica merita *Ricciolo*, in *Chron.* II. celebrati) Discipulus, qui, præter maxima in *Horologiographiam* & *Astronomiam* merita, ita de restaurata *Geographia*, Commentariis suis in *Ptolomæum*, *Melam*, ac *Solinum*, nec non insigni Opere *Cosmographico*, meruit, ut in Epitaph. *Basileensi*, *Germanus Strabo* appellatus fuerit; *Philippus Cluverus*, *Vossii* etiam testimonio (in *L. de Græcis Hist.* p. 107.) princeps ætatis nostræ Geographus, quemque *Chiffetius* P. I. *Descript. Vesont. Civit.* C. 35. p. 139. *Virum Doctissimum & Geographum præstantissimum sui temporis esse*, judicat, *Antiquâ suâ Germaniâ, Italiâ, Siciliaâ, Introductione in universam Geographiam*, & *Libro de tribus ostiis Rheni*, tam præclare meritis, ut vix alius magis. Nec possum, quin de illo Libro, quo *Antiquam* nostram *Patriam* descripsit, *Gabr. Bucelini* hæc verba memorem, quæ in præfat. *Germaniæ* suæ ita ille**

scripsit: *Veterem Germaniam ita accuratè designavit aureum illud seculi nostri Caput Pb. Cluverus, ut resciam, utrum plus opera insumserit, an meruerit immortalitatis.* Gerhardus quoque Mercator laude sua fraudandus minimè est, (quem *Juliacensem* vocat *Th. Poppe Blunt*, in *Cens. Celebr. Autorum*) Ducum *Juliac.* & *Clivenf.* quondam Cosmographus Nobilissimus, qui fundamenta *Atlantis Majoris* potiora jecit, quod nec ipsi, in *Novi Atlantis Praef.* diffidentur *Blavii*: quemadmodum *Cælestis etiam Atlas*, *Andr. Cellarium, Palatinum*, sui refert autorem. Quid? quòd ipsam *Novi Orbis inventionem*, non *Chr. Columbo*, aut alii cuidam nautæ; sed *Martino Behaim*, *Noribergensi* quondam Patricio, cujus hodiernum ibi familia superat, & cujus vitulo postea *Columbus* aravit, jure merito acceptam esse ferendam, è fide dignis monumentis non ita pridem, in *pec. Panegyri. Georgio Frid. Behaimo* dicto, & amplius in *Pem studiorum Juvenilium*, probavit illustris *Polyhistor*, & splendidissimum Germaniæ nostræ sidus, *Wagensilius*. Ad CHRONOLOGIAM quod attinet, nolo nunc nostrates quosdam exteris hic operosè opponere; illud verò optandum videbatur, ne invida mors egregios *B. Wasmuthi* conatus, de universâ Chronologiâ reformandâ, deq; latitud. ac longit. locorum, ubivis sine erroris metu facilè inveniendâ, interceptisset. Et loquetur vel imprimis de nostratium in hanc quoque partem meritis posteritas, si (quod brevi ut fiat, optamus pariter ac speramus) *Chronologiam suam Biblicam Reformatam* in lucem sistet *Dn. Dd. Grünbergius*, in qua omnes *Chronologie Sacrae difficultates*, hactenus inexplicabiles, etiâ illas, ob quas, quippe à *Buxtorffio* nostro non enodatas, (ut: *Nebem. VII. & Esr. II.*) *Bochartum Capelli* in Criticis hypotheses tandem amplexum esse, *Bæclerus* in *Hist. Univ. Sec. I. p. 1.* perhibet, se expeditas daturum promittit. Ad *Typographicam artem* venio, ob quam à *Germanis* primum inventa, incredibile dictu est, quantum iis omnes omninò debeant literæ, immò humanum genus universum. Et nimis profectò aperte se falsos esse produnt, quos, ut nobis hanc eripiant gloriam, instigat invidia, qui gentibus omnibus aliis, & nescio quibus non potius, quam *Germanis*, eam attribuere volunt. Quare nihil nunc moramur, qui vel ex *Novo Orbe* hæc gloria superbire visi sunt, *Cathaitanos*, à *Zuïngero*, in *Theatr. V. H.* memoratos; & *Themistancos*, quibus *Genebrardus L. IV. Chronogr. Busbeqvius Ep. IV.* aliiq; patrocinantur: Nec *Gallos*, pro quibus *Ant. Campanum*, nomine *Uldarici Hahn* (quem natione Gallum credidit) turpiter deceptum, quondam laborasse, *Adamus*, in *Vit. Gutenbergii*, *Franc. Irenicus*, in *Exeg. Germ. L. II. C. 48.* & *Wimpheling. Epit. Rer. Germ. C. 65.* perhibent:

bent: Nec *Italos*, pro quibus *Pomponium Letum*, (è quodam *Cypriani* loco in *L. de Idolis*, malè intellecto) & *Gilbertum Cognatum*, *L. III. Sylva Narrat.* defudasse constat; quibus tamen, vel ex ipsis *Italus*, *Marc. Ant. Coccius* s. *Sabellicus*, *Ennead. L. VI.* & *Bapt. Fulgosus L. IIX. Diff. & Fact. Memorab. C. XI.* hanc nobis palmam ultrò concedentes, repugnant. Nec *Schyta* nos heic quicquam movent, quibus *Steph.* etiam *Zamoscius*, in *Analect. Dac. antiq. C. III.* favet; nec *Sinenses*, quorum (quippe affini quodammodo *Typographia* artificio jam antè usorum) heic pariter causam agunt *J. P. Maffejus*, *L. VI. Hist. Ind. p. 113.* *Jo. Consalv. à Mendoza*, *L. III. de la historia del gran regno de la China*, *Nic. Trigautius*, de *Reb. Chin. L. I. C. IV. Garzias de Horto*, in *Hist. Simplic. apud Indos nascentium L. II. C. 38.* *J. H. Linschotanus*, *P. II. Ind. Or. C. 26.* *Hier. Ofor.* *L. XI. de Rebus Emmanuelis*, *Herm. Hugo*, in *de prima scribendi Orig. C. 34.* *P. Jovius*, *Hist. L. XIV. Jo. Boterus* in *Relat. Univerf. Descr. China*, aliiqve, quorum duo ultimi tamen, ille quidem in *Elogg. Doct. Virr.* ubi *Germanis* id ipse tribuit; hic verò & in *Relat. Europ. p. 1. l. 1. de German.* ubi, *J. Tedeschi*, fatetur, *sono stati inventori della stampa*, sibi met ipsis apertè contrariantur. Sed nec *Batavos* heic curamus, etsi hanc illis quoqve gloriam *Ludov. Guiciard.* in *Descr. Inf. Germ. & Hadr. Jun.* in sua *Batavia*, p. 253. *P. Scriverius*, in *den Laurekrans voor Laurence Coster, van Harlem, van de Boeckdruckery, & Boxhorn.* tum in *Hist. Univ.* tum in *ling. L. de Typographica artis inventione ac inventoribus*, asserere voluerint. Sed benè est, quod vel ipse *G. Naudæus*, etsi *Gallus*, hunc modò nominatum *Boxhornium*, in *Doctiss. L. cui fecit nomen: Addition à l'histoire de Lovys XI. C. VII. Germanis* solis hanc gloriã vindicatã, jam solidè refutavit, cum quæ contra eundem *Reinesius* noster meditatus fuerat, *Heinsii* prece motus, ipse suppresserit. A solis certè *Germanis* *Typographicas* operas excogitatas, & in exteras passim provincias postea traductas esse, e nostratibus *Bernb. Mallincrotius*, *Diff. de Ortu & Progressu artis Typogr. Schragius* (cujus ille liber esse dicitur) in *Bericht von Erfindung der Buchdruckerey in Straßburg*, *Baehlerus* in *Orat. de Typographia*, *Zach. Beichlingius* in *Unterricht von der Buchdruckerey*, aliiqve, in *Solis*, quod ajunt, *disco* posuerunt: Quamquam, num *Argentoratensibus* præ *Moguntinensibus*, ane his præ illis, potior heic attribuenda sit gloria, forsitan adhuc sub judice lis est. At hæc verò tam admiranda *Germanorum* inventa, ornatiora postea reddi etiam ab aliis facillè potuerunt, cum, *Tullii* verbo, *nihil simul sit inventum ac perfectum*: quibus tamen nihil utilius, mirabilius, aut excellentius? Laborabat *Agyptus*, ut *Scientiarum* arcana, &

recon-

recondita conceptuum mytheria in posteros transferret, Obeliscos ingentes extruebat, molesque faxeas erigebat, quibus suos ingeniorum partus incideret, quod ita diutius proficere, omnesque erudire facile possent. Sic duabus columnis *Sethi* posteros omnem sui temporis doctrinam indidisse, accepimus, in omnem ita posteritatem scientiam suam propagaturos: At multo jam felicior aetas nostra facta est; haec quippe ars, quae

*Imprimit una dies, quantum non scribitur anno*

facillimò nunc negotio, quodvis artis ac doctrinae genus, & quantumcumque operosum ingenii opus, per quosvis Orbis angulos brevi divulgat, eloquitur & propalat, omnium etiam gentium linguis loqui docet, & loquitur, intimosque animi conceptus plurimis simul locis revelat, ut ita nullam temporis injuriam quodvis magnificentum amplius intercideret, eoque hominum memoria elabi tam facile queat. Hoc certe invento, imprimis si & *Pyrotechnicam* & *Telescopicam* artem respicimus, maximas omnino Germani ab omnium gentium temporumque hominibus meruerunt gratias, quemadmodum id jam olim recte agnovit *J. Bapt. Egnatius*, Venetus Doctissimus, quem ex L. VIII. C. II. loqui fecit *Zahnus*, in *Pref. Oculi*, ubi, vindicavit sibi, inquit: *duplici nomine famam Germania, duarum artium inventionem, quae ad eam diem nulle unquam in toto terrarum orbe fuerunt. Quarum una sit aliquantò prior, militarium tormentorum, quae nunc apud omnes vulgarissima est; altera, imprimendorum librorum ars, quae universa pacis & otii sit alitrix & parens.* Ubi potro *Venetii* gratulatur, tum quod eò primum a Germanis tormenta importata fuerint, quae defendenda libertatis *Venetae* (bello *Genuensi*) praecipua fuerint causa; tum quod ibi *Nicolai Sansonis* (Germani, quem *Adamus* in *Vitiis Philos.* p. 2. *Jensonem* vocat, qui & in *Gallia* artem librariam excoluerit;) industriam *Typographiam* felicissimo auspicio sic cepit, ut deinde per universam *Italiam*, tunc verò etiam & omnem *Galliam*, auspiciatissime fuerit sparsa. Recte omnino, *Egnati*, & verè: haec certe duo maxima *Germaniae* nostrae sunt miracula, quae nos fecimus optima, quia toti Orbi communia, *Bombarda* videlicet & *divina Typographia*; illae *Martis*, haec artis propria, quibus ad pacem publicam, ad virtutum doctrinarumque mysteria, ad religionem denique, & animarum salutem, viam omnibus communivimus, digna unis *Germanis* inventoribus, ut, qui literarum pariter ac armorum gloriam praecipue obtinerent, iidem quoque literarum armorumque gloriam praeter aliis nationibus omnibus maxime adaugerent: Quid autem dicturus non fuisses, si tum jam admiranda *Telescopiorum* inventa videre Tibi licuisset? Sed nobis, praeter haec, *Itali* quoque inventionem, tribuunt

buunt machinarum, rotulis tempora siderumque cursus & recursus distinguunt, quas *Horologia* dicimus, quod, uti laudum nostrarum non exigua est accessio, ita silentio hęc minimè erat involvendum. *Boterum* audiamus, in *Relat. Europ.* p. 1. l. 1. de *Germ.* ubi, *7 Tedeschi*, inquit, *sono stati inventori della Stampa, dell' Artigliaria, & dell' Horologio a ruota, cose nobilissime.* Cujus igitur nationis inventum, si vel ipsos cordatiores exteros interrogamus, est *bombarda*? Nostræ *Germanicæ*; Quis memoriæ statuit æternitatem *typis æneis*? nos *Germani*; Quis *horologiorum* rotulas docuit? nos *Germani*. Nos quippe (ipsius *Scaligeri* verbis, in *Exercit.* 99.) *bombardâ Jovis immo imitati sumus; Tempus ipsum librorum perpetuitate superavimus; Horologiis temporum comites, rotarum circumactiones, effecimus.* Taceo alia manuum humanarum, immò ingenii prodigia; taceo *ligneam* istam *Regiomontani Aquilam*, quæ ante Imperatorem Norimbergam ingressuram in aerem subvolavit, & ad portam usque præcessit, quam ipse *P. Ramus*, (in *Pref. ad L. 2. Obs. M.*) *Bartassius* (*Au. 6. jour, de la creat.*) *Salmutus ad Panciroll.* (*N. Rep. C. XIX.*) aliiq; adeò mirantur; taceo illam *Alberti M.* statuum, ad vivi hominis imaginem ita fabricatam, ut libramentis quibusdam rotisq; intrâ latentibus, & linguam quâdam machinarum disciplinâ peritissimè moventibus, articulatas voces pronunciaret; cui simile quid non ita pridem *Gedani* me vidisse, memini. Et quoniam in *Alberti M.* mentionem jam incidimus, sanè, si e Veterum quoque *Scholasticorum* choro, tot suorum nominibus Itali, Hispani, Galli, & Angli (de quibus imprimis *Cambdenus*, in *Remains* p. 14. videri potest) triumphare audeant, nobis sufficeret, si vel solum hunc *Albertum*, *Ratisbonensium* quondam *Episcopum*, obijcere exteris possemus, eorumq; omnibus opponeremus, quo sibi de *Doctore & Colonia & Parisiæ* quoq; aliquando gratulatae sunt, cognomen *Magni* pro meritum, omnium quippe illorum argutiorum *Scholasticorum* Principem ac Patrem, Præceptorem etiam *Seraphici Doctoris, Bonaventurae*, immò ipsius *Doctoris Angelici, Thomæ Aquinensis*, ex cujus postea fonte alii omnes penè rivulos suos derivarunt, ut ipse ex *Alberti M.* oceano. Immo *Doctiss. Vir Guil. Canterus*, in *Tabula illustrium Philoss.* (*Stobæi Eclogis*, a se latinè conversis, præmissa) quando *Philosophiam à Græcis ad Arabes*, & ab his, *Duce Avicenna & Averroë*, in *Hispaniam translata esse*, dixerat; inde eam, scribit, in *vicinam Galliam, principe Alberto M. cujus Discipuli Thomas & Scotus* (*Doctores ille Subtilis*) fuerint; tum in *Italiam*, pervenisse: Unde sanè, quàm latè, vel hoc solò *Doctore*, per tot provincias tunc t. *Philosophia* propagata fuerit, perspicitur. Ejus certè *Opera* si spectemus, a *Boissardo in*

E

Biblioth.

*Biblioth. Chalcographica* recensita, & Lugdun. XXI. Tomis 1651. f. edita; patebit, non illum, ut reliquum Scholasticorum vulgus, in solis & otiosis speculationibus substituisse, sed rerum etiam naturalium ac mathematicarum (in quibus non pauca scripsit) ad miraculum fuisse peritum, de quibus omnibus parum solliciti fuerunt ceteri. Caput illud æneum, quod, ut loqui posset, instruxisse traditur, interiorem Mechanicæ & Anatomies peritiâ, isto seculo prorsus inusitatam, in eo arguit, etsi ob hæc talia Magiæ crimine suspectus haberetur apud nonnullos, quam quidem suspicionem faciliè apud rerum ignaros ingeniosior quis incurrit, à qua tamen hunc nostrum strenuè ipse defendit *Gab. Naude*, in L. cui tit. *Apologie pour tous les grands Personnages, qui ont été faussement soupçonnés de Magie, à la haye*. Nec mihi ego difficulter periuaderi patior, huic Viro arcaniorem rerum naturalium scientiam fuisse, quàm nunc in aprico se habere putant *Lyncei* quidam, unde neque *Chymica* illa, sub ejus nomine prostantia, cum *Naudeo* equidem tam faciliè pro suppositis habuerim. Vitam v. *Alberti M. Rudolphum de Noviomago* 4 libris, qui Colon. 1490. prodierint, descripsisse, *Königius*, in *Biblioth. V. & N.* p. 581. memorat, eumq; tanquam unicam *Doctum Germanum*, Herbeno quondam, à Doctissimo quodam Italo commendatum fuisse, jam superius allatum est. Si verò & de PICTORIA hæc arte quicquam dicere attinet, jactent exteri, & qui vel imprimis hac laude celebrantur, Itali, suum *Mich. Angelum Bonarolum*, *Florentinum*, *Raphaelem Urbinate*, *Job. Bellinum*, *Andr. Montegnam*, aliosque, quorum picturæ ferè pro miraculis sunt habitæ; Annon & nobis sunt, istis omninò æquiparandi, si non anteponendi. Testor *Lucam Cranachium*, *Petr. Rubenium*, *Job. Holbenium*, & vel omnibus præferendum *Albertum Durerum*, ut *Arithmeticum*, *Geometram* & *Architectum* peregregium, ita *Pictorem* absolutissimum & certè incomparabilem, & ab omnibus, etiam Imperatoribus ac Regibus, immò & ipsis ejusdem artis Magistris, iisq; Italis, & Artificibus quidem summis, summâ in admiratione habitum; qui *Italorum* invidiam ingenio compescens, ipsos adegit (ut scitè in *Consult.* p. 49. *Lansius* inquit) *Et ad veritatis confessionem, Et ad falsi commentum: cum Dürero quidem herbam porrigerent; sed, ut opera sua facerent vendibilia, fraudulentâ Düreriani nominis inscriptione ea proponerent. Bononienses sanè Pictores principatum picturæ in toto Orbe ei detulisse, affirmantes: jucundius se morituros, visò tamdiu desideratò Dürero*, ap. *Adamum* in *Ejus Vita* legimus. Venetiis quoque *Bellinum*, hujus artis famâ Celeberrimum, tanti hunc nostrum fecisse, idem ibi refert, ut etiam donari sibi ab illo unum è penicillis ejus, quibus

bua

*bus capillamenta ducere soleret, coram ab ipso petierit, conspectâque Düreri in pingendo felicitate & agilitate, stupefactus multis confessus fuerit, nullius mortalium sermonem, ejus rei, quam oculis vidisset, fidem sibi facere potuisse: Montegnam verò, similem huic artificem, etiam non rarò in sermonibus familiaribus questum fuisse, quod sibi non contigisset illa Dureri scientia, atque ideò, cum Mantua decumberet, & Durerum in Italia esse audivisset, celeriter ad se accersi curavisse. Sed non suo solum ævo adeò ille profuit, verùm de posteritate quoque immortaliter vel per hoc meritus est, quòd, revocatò ad artem & doctrinæ rationem usû, ne casu magis, & naturâ ita adjuvante, fortuitò, quàm justâ scientiâ quis impropterum hæc in arte versaretur, certa artis pingendi præcepta composuerit. Quamobrem in Ejus Epitaphio (quod d. I. Adamus observat) inde & præcipuè celebratur, quòd non solum pictoriam artem auxerit, illustraverit, ac ad severiorem legem restrinxerit; sed & literis posteritati commendare cepit: dicereque ausim, omnes, qui unquam pingendi sibi arte immortalitatem pepererunt, Apellem, licet, Zeuxem, Aetionem, Protogenem, Parrhasium, Aristidem Thebanum, aliosque, si venissent, hæc facillè inventuros fuisse Magistrum, sub cujus disciplinâ artium tyrocinia iterâsse reputâssent omnis suæ felicitatis caput.*

Neque multis nunc ostendendum mihi sumam, quid & in POESI nostratum valuerint ingenia, cum ipse Dn. Morhofius, in Doctiss. Dissert. sua de Poësi Germanica, passim, de iis saltem, qui vernacula lingvâ è nostris scripserunt, luculentè monstraverit, minimè nobis defuisse, qui cum aliarum nationum Poëtis contendere queant, immò, Poëtas nostrates longo genete alias temporum intervallo præcurrisse. Ubi & p. 279. sq. Rudbeckium retudit, qui *Atlantica* L. 4. C. 24. quod Germanis suo jam ævo Tacitus tribuit, illos sc. *Carminibus ANTIQVIS* (quod unum apud illos memoria & annalium genus sit) celebrare Tuissonem &c. ad Succos suos invidiosè trahere conatus fuerat. Non tamen hæc possum, quin ex nostris unum nunc saltem, *Latinis* exterorum Poëtis vel omnibus opponam; neque verò ex antiquioribus ad quosdam non contemnendos, vel ex ipsis barbaris seculis provocabo; nec ad *Melanchthonem* nostrum, *Communem* illum *Germaniæ Præceptorem*, aut *Joach. Camerarium*, (non *Germaniæ* solum, sed *totius Europe ornamentum*, ab ipso Turnebo appellatum,) duo illa Germanici Orbis fidera, quæ admirari nunquam Literaria Resp. nisi ingratißima, desinet, quorum certè famâ exciti, plurimi superiori tempore homines nobiles & docti, ex Italia, Gallia, Hispania, Pannonia, immò & Græcia, certatim ad nos (*Adamo in Lotichii Vita teste*) confluerunt, qui & in Græca imprimis Poësi



se ostenderunt insignes; Non G. *Sabinum* nunc testabor, à P. Bembo, *Gasp. Contareno*, *Cardinalibus*, *Baptista Egnatio*, & *Ludovico Becatello*, *Italis*, tanto (ut ipse *Thuan.* L. 26. prædicat) in precio habitum; non *Eobanum Hefsum* producam, nec *Job. Lotichium Secundum*, omnium (*Thuanæo* etiam iudicio) qui secundum *Eobanum* in *Germania Poëticam* attigerunt, præstantissimum, immò *Morhoso*, in *Polyhist.* p. 225. iudice, *Eobano* superiorem; cui & in *Elegiis* imprimis, non *Batavi* solùm, (vid. *Heinsf.* L. 11. *Eleg.* 11. & *Lipf.* T. 11. *Opp.* p. 74. B.) sed & è *Gallis*, antè laudatus *Renatus Rapinus*, in suis *Reflexions*, principatum detulerunt. Non *Vincentium* nostrum *Fabricium* memorabo, *Synd. & Cos.* quondam *Gedanensem*, cujus elegantissima & longè suavissima omnis generis *Carmina*, maxima etiam *Belgii lumina*, *Heinsii*, *Scriverii*, *Boxhornii*, *Grotii*, *Hügenii*, *Salmasii*, *Barlai*, &c. tanti fecisse constat, ut nihil suprâ. Non *Buchnerum* nostrum afferam, quem, ex *Morhosi* quoque sententia, (l. d. p. 308.) ut *Oratorem optimum*, ita *Poëtam certè inter Germanos suo tempore Principem* fuisse, nemo facilè diffitebitur, & cui ad perfecti *Poëta* nomen vix quicquam videtur defuisse. Non *Titium* nostrum producam, in *Gedan.* quodam *Athenæo Poës. & Eloq.* Professore Clarissimum, quem *Borussicum Virgilium* a quibusdam appellatum, *Königi* in *Biblioth.* observat. Neq; heic ipsum nostrum *Morhodium* testabor, *Poëtam* ab ipsis *Italis*, *Anglis*, *Gallis* ac *Batavis* summi æsumatum, ex quibus *Huetium*, *Menagium*, *Petitum*, *Heinsium*, *Grævium*, &c. in *Epicædio* ejus nominavit *Dn. Mublius*; cujus nuper *Latina* quoq; *Carmina*, cedro omninò dignissima, uno volumine collecta, *Orbi* typis sunt communicata, qui *Germanica* ejusdem tantopere antè admiratus fuerat. Nec alium quenquam, ex illis, quorum *Carmina Delitiis Poët. Germ.* intulit *Ranutius Gherus*, (f. *Janus Gruterus*) in testimoniis heic afferam. Prodeat vel solus *Celsiss. Princeps*, **FERDINANDUS de FURSTENBERG**, *Episcopus* quondam *Paderbornensis*, cujus admirationem non *Italos* solos, & *Germanos* nostros, sed & *Gallos* tenere, dicit *Conringius*, (in *Epist.* ad illum 37.) qui & de *facundia* ejus *Poëtica*, in *Dedicat. Antiquit. Academicarum*, asserere non dubitat, illum isto in campo planè sine amulo regnare, similemq; *Principem Germaniam nunquam vidisse*, nec fortè unquam visurum esse. Et sanè Hunc verè *Poëtam Principem* & *Principem Poëtarum* dici, *Ejus* tum *Poëmaturum* elegantissimorum *Libri*, tum *Æsonumenta Paderbornensa*, & *Poëtico* & *Historico* calamo ingeniosissimè illustrata, *orbi* sunt testata. Taceant omnes *Itali* & *Galli* ad horum *Majestatem* suavitatemque *carminum*, quibus meliùs excogitari nihil hæcenus potuit. Et hoc verò de *Principe*, tam exacta *Veterum*, imprimis *Germanicarum*,

nicarum, rerum notitiâ non modò tincto, sed penitus imbutò, quò gratuletur sibi meritò habet Germania. Quamquam non hòc solò nostrum sese effecit seculum: Qvis enim nescit omnibus certè seculis admirandum illud Magnorum Principum par, quòd non ita pridem in omnium exterorum invidiam nostra tulit Germania, AUGUSTUM puto, *Brunovicensium* & *Luncb.* & GUSTAVUM ADOLPHUM, *Mecklenburgensium* DUCES SERENISSIMOS, & quorum inaudita, & penè stupendâ in omni doctrinarum genere eruditione vel pauca mihi dicere foret religio, unde ne illustrissima Eorum in literarum studia, nec nisi æternis inscribenda fastis merita, obscurâsse videar, gloriosam Illorum, aliorumque similium memoriam, devotissimo veneror silentio. Etsi mihi esset facillimum, è fulgidiss. Germaniæ Proceribus quàm plurimos, literarum gloriâ Eruditorum vulgus longissimè supereminentes, longo ordine recensere; vel ex recentiori saltem memoria, ad GEORG. & CHRISTIANUM, *Anhaltinos* Principes, HENR. JULIUM, Ducem *Brunovic.* WILHELMUM & MAURITIUM, *Hassie* Landgravios, aliosque provocare; immò ex ipsis nostris Imp. (nisi illud mihi nefas) nonnullos nominare. CAROLUS tamen M. primus *Germanici* sanguinis Imp. (quòd inter all. *Sigebertus* etiam, & ipse Gallus, in *Chron. ad An. 794.* fatetur, quiquid aliè etiam Gallorum contrà;) heic tacendus non est, cujus equidem eruditionem tantam (pro ea seculi conditione) tamque variam, ut Historicorum sanè monumenta eam nobis mirandam exhibent, multis nunc laudibus prosequi, supersedeo; sed digna saltem eò fastigiò in literas merita, quibus vix ipsi inter Terræ Principes par fuit, aut secundus, vel strictim heic videntur repetenda. Quid in amplissimis Eius Imperii ditionibus ea tempestate erat, nisi summa ubique barbaries? Illi verò primam novæ *Occidentis Scholæ* debent originem, ob institutum initiò *Parisis* publicum literarum forum; cujus rei *Monachus San-Gallensis, de Vita Caroli* L. 1. C. 1. sq. *Uldar. Mutius* L. II. & IX. *Buchan. L. V. Hist. Scot. Polyd. Virg. L. V. Hist. Anglic.* fin. aliique testes sunt: quòd quidem, vel ab ipso tum *Carolo* (*Aventino* L. IV. *Annal.* autore) ad explorandos studiorum profectus, animosque monitis ac præmiis inflammandos, aliquando visitatum, in tantum postea, in quo nunc illud positum videmus, fastigium excrevit. Quo tam laudabili facinore *Alfredo* quoque Anglorum R. similem doctrinæ mercatum publicum in Britannis aliquantò post *Oxonii* excitandi, præbuit exemplum, sicut ipse *Arn. Wion, in Ligno Vita* L. V. C. 94. memorat. Quin & *Scholam Cantabrigiensem* (similiter publicam; ab his quippe *Scholis, Conringio* docente, *Academiarum* origo arcessenda est, quarum tanta quoque hodie in nostra *Germania, ex Imp-*

Principumque Germ. institutione, frequentia est, ut nusquam alibi reperias plures; ) post illam *Pariensem* demum coepisse, in *Antiqq. Acad.* p. 41. & 73. probatum ivit *Conringius*. Sed & *Bononiensis Scholæ*, in hunc diem in *Italia* celeberrimæ, almæ illius *Studiorum Matris*, originem, ad *Carolus* nostrum, à nonnullis, & speciatim à *Mutio* l. d. referri, certum est; quas enim olim *Theodosii II.* de instituenda ista Acad. literas finxere *Bononienses*, quibus quidem *Bartolus*, J. Can. glossator & *Middendorpius* quoque; L. IV. de *Acad.* temerè credidit, hodie sunt explosæ.

Quin & ipsi *Patavini* suam à *Carolo M.* conditam fuisse *Scholam* perhibent, nec non *Ticineses* s. *Papienses*, quibus suo etiam testimonio l. d. *Polydorus*, & ipse *Italus*, accedit. Immo & in *Turonibus* istiusmodi à *Carolo* Scholam constitutam esse, ex *Alcuini Epist.* L. I. *Continuat. Hist. Bedæ*, C. 9. reperiunda, colligas. Neque falsus est, vetustiss. *Vita Car. M.* auctor, à *Pirhæo* editus, qui p. 252. *Carolus in Francia ubiq; studia literarum expandere jussisse*, scribit, ante ipsum enim in *Gallia* nullum studium fuisse liberalium artium. Sanè quomodò is meliorem literaturæ culturam per totum, idque amplissimum Imperium suum, quod in *Gallos*, *Italos* ac *Hispanos* quoque; latè exercebat, omni nisu promoverit, inde luculentè patet, quòd & primus in omnibus *Monasteriis* Scholas habendas præceperit, singulisque *Episcopalibus* *Cathedris* à se erectis, *Canonicorum* etiam *Collegia* adjunxerit, in quibus liberali. artium studia propagarentur, quas ejus *Constitutiones* L. I. *Capitul. Ansegisi*, C. 71. & L. V. c. 95. ac fusius in ipsa *Caroli Epistola encyclica* legimus, eapropter ad omnes *Episcopos* & *Abbatas* datâ, quam *Sirmondus* T. II. *Concill. Gall.* p. 121. & *Schatenius* nuperrimè L. IIX. *Hist. Westfal.* p. 509. sqq. inseruerunt. Quod Scholarum genus, etsi initio inferioris plerumque ordinis fuit, mox tamen passim in sacra secularisque *Sapientiæ*, ac *Libb. Artium* Scholas feliciter excreverunt, quod ipsum *Trith. Chron. Hirsf.* ad An. 890. *Paul. Langii Chron. Citicensis*, *Kranz.* L. V. *Sax.* C. 28. & *Metrop.* L. III. C. 43. ac *Miræus* in *Origg. Mon.* L. II. C. I. satis nos docent. Ita tunc *Phrontisteria* ejusm. florem mox nacta sunt, & vel in sola *Germania* nostra, cœnobium *Fuldense*, *Hirsfeldense*, *Corbejense*, *Weiseburgense*, *Prumiense*, *Tuiciense*, *Hirsaugiense*, *Trevirensis*, &c. tot statim *Viros Clariss.* profuderunt, *Strabum* sc. *Fuldensem*, *Haymonem*, *Walafridum Strabonem*, *Othricum*, *Bovonem*, & qui unus (*Conringii* judicio, in *Antiqq. Acad.* p. 302.) *Germaniæ nostræ potest esse, pro omnibus ævi illius, quarumcumq; etiam gentium Occidentalis Ecclesiæ, Rabanum Maurum*, aliosque plurimos. (Vid. *Trith. Catal. laud.*) De sola *Corbeja* jam antè vel obiter dixi; aliâ

aliàs & in Westfalia nostra, præ multis aliis Scholis Episcopalibus, egregiè tunc ea effloruit, quam Osnaburgi excitavit Carolus, quo loco (ut *Diplomatis* verba habent, ap. *Miræ*. in *Cod. Donn. piar.*) Græcas & Latinas linguas in perpetuum manere ordinavit, & Oratorum Orientalium seminarium esse voluit; nec non Paderbornensis, quam Autor *Vite Meinweri* Ep. C. LI. ibique in Scholiis, Browerus, non in puerorum tantùm exercitationibus se continuisse, sed sublimioribus quoque studiis, ipsum Clerum exercuisse memorant. At de his plura fortè aliàs. Neq; Lotharius II. Imp. prætereundus heic est, quem abrogatis Longobardiciâ Saliciq; legibus, ut ex uno jure Civili Romano post-hac judicâ fierent, lege (denuo) sanxisse, ex constanti doctorum hominum monumentis famâ refert Sigonius L. XI. & XV. de *Regn. It.* consentientibus, vel ex ipsis *Italis*, Jo. Bonifacio, in *Hist. Tarvis.* L. III. f. 147. & Alidosio, in *præf. L.* cui inscripsit: *Li Dottori Bolognesi de legge Canonica e Civile*, ut & *Academia Lovaniensi*, in *singul. Resp.* (si Nibussio credimus, in *Prologo Irnerii*;) Jctâ etiam Boniensibus (insing. *Relat. de Irnerio, ad Nibussium*) adductâ quâdam Lotharii lege, de *Jure Civili in Scholis publicè interpretando*, idem id attestantibus: quanquam quid contra ea Lindenbrogius, in *præf. ad Cod. Legg. Antiq. G. Calixtus*, in *Th. Morali*, P. I. p. 112. sq. & *Conring.* l. d. p. 346. & in *de Orig. Jur. Germ.* C. XX. sqq. disputaverint, haut ignorem; quorum hic verò, etsi Lotharium publicam docendi Autoritatem ac privilegia Bononiensibus indulgisse, *graduumaq; Acad.* ritum (quod alii etiam statuunt) instituisse neget: *Verosimilius* tamen *longè esse*, fatetur, in *Antt. Acad.* p. 347. à *Frid. I. Imp. facultatem jus Rom. illud docendi fuisse Bononiensibus confirmatum*, quod quidem & Gallorum *Journal des Scavans*, Ann. 1665. *Eph.* VII. tradit, & mihi vel ex iis speciem habere videtur, quæ in *Roncaliensibus Comitibus* de se ipso *Frid. I.* prædicat, ap. *Radevicum*, L. IV. de *Reb. Frid. I.* C. 3. immò & inde, quòd ipse ibi tunc, ob Auditorum Juris Bononiæ frequentiam, novam regiminis Scholastici formam instituere adductus sit, *deq; privilegiis Scholarium Legem* sanxerit, uti ex *Auth. Habita, Cod. ne fil. pro patre*, constat; ut ad eò sic quoq; *Acad. Bonon.* florem istum suum *Germanis* debeat. At illud quoq; memorandum, quod *Frid. II. Imp. LL. Aristot.* aliorumque *Philosoff.* sua cura ac sumptu *Latinè* factos, *Philosophicæ Bononiensium Scholæ* obtulerit, quæ de re *Cæsaris Epist.* ap. *Pet. de Vineis*, in *Op. Epist.* L. III. *Ep. 69.* reperimus, ubi resuscitata *Philosophiæ omnis studia*, *Seculum istud*, *Imp. nostri Literatiss.* & *πολυλώττα* debere beneficio, cognoscimus, qui ita novam, hætenusq; insolitam bonis artibus ac Scholis faciem reddidit. Quid? quod jam illos *LL. in Academicorum gratiam*, sub *Lothar. Sax. & Frid. Ænoharbo*, ver-

sas

*fos esse, Seldenus, in Comm. ad Origg. Eutychie, p. 156. testis est. Sed, quò minus de Carolo etiam IV. & V. Maximil. II. & Rud. II. Imp. quin & LEOPOLDO nostro eruditissimis quid addam, in viam nunc revocor. Et verò, quæ de Humanioribus literis dici potro poterant, in quibus sibi Batavi præcipue triumphare multum videntur, lubens omitto, in Diss. V. D. proximâ, de Westphalorum meritis in elegantiores literas, ostensurus, vel solos Westfalos, primos eorundem in hoc literarum genere posse appellari Pædagogos. Obscurum etiam nemini esse potest, Germanos nostros non minus in recensendis, illustrandis, interpretandisque Autoribus impendisse studii, quàm alii quicumque, quicquid tandem illi crocitant: quod ipsum, ne ad Regiomontanos, Münsteros, Camerarios, Leunclavios, Xylandros, Wolffios, Reinccios, Christmanos, Pirckhaimeros, Taubmannos, Schmidios, Crustios, Goldastios, Freberos, Caselios, Vadianos, Velschios, Lubinos, Rittersbusios, Barthios, Berneggeros, Freinshemios, Reinesios, Daumios, Gronovios, Holstenios, Buchneros, Bosios, Hoeschelios, Wouverios, Guinteros, Vossios, Silburgios, Scioppios, Schefferos, Boecleros, Conringios, Meibomios, Thomastios, aliosquè longè plurimos, provocare opus sit, tot omnis generis scriptores antiqui, è pulvere & situ, Germanorum diligentiam eruti, pristinoque nitore restituti, totque Græci Scriptores, magnâ doctrinæ & industriæ laude latinè versi, abundè testantur, & futuris seculis testabuntur, nunquam labefactandâ primæ operæ gloriâ, etiamsi deinde, inventis aliquid addere promptior, nitidiora & elegantiora omnia reddiderit posteritas, ut rectè Meibomius Jun. in Præfat. ad T. I. Rerum Germanic. loquitur, ubi similiter ostendit, Germanos non vel Græcis Latinisque, prisca scriptoribus tantum, vel SS. Patribus, vel iis, qui artes & scientias tradidissent, vel utraq. lingua ingenii & eloquentiæ suæ vim in historia vel orationibus ostendissent, manum admovisse, sed patriæ quoque suæ & rerum domesticarum Scriptores (quorum nunquam nobis copia defuit, si modò omnes superessent;) in monasteriorum Bibliothecis cum tineis & blattis certantes, undecumque, conquistos, laceros licet interdum & imperfectos, barbarosque, ut plurimum & inelegantes, edidisse, illustrasse & emaculasse. At in Historiæ, & imprimis Sacre studio tanto nos post se intervallo relictos clamitant. Quod si ita quidem esset, non magis id fortè nobis illi objectare possent, quàm illiberalitatem egenti. Illud enim mihi quidem non adeo videtur negandum, longè pluribus majoribusque adhæc illos instructos vivere adminiculis, in hoc vel imprimis campo se exercendi, quàm nostrates; quamplurimos enim istud studium & sumtuosiores requirit libros, rariores etiam Codic. MS. Stos, qui difficilior apud nos habentur;*

bentur. Tot equidem tantisque privatis etiam Bibliothecis nostram haud abundare Germaniam, quam quidem Italia, Gallia, Anglia &c. quæ tot, etiam intestinis, non adeo turbata ac lacerata sunt bellis, facile crediderim, quæ vel ipsi *Heidelbergenſi* quoque *Bibliotheca*, maximo patriæ nostræ damno, lucuosam attulere ruinam, utque ea post direptionem tota in Italiam ablata, vel ipsi Vaticanæ accresceret, vel, quod alii putant, per privatas Cardinalium Bibliothecas distribueretur, effecerunt. Certè *Ludov. Jacobus*, in *Traicté de plus belles Bibliothèques*, in sola Parisiensium urbe plures, quam in Germania tota, etiam si vel Angliæ & Hispaniæ quoque libri connumerentur, reperiundas esse Bibliothecas, asseruit, cujus quidem iudicio standum adeo non est, cum quoad Germaniæ libros ex solo *Melch. Adamo* sapere videatur, qui nihil minus, quam libros in suis *Vitis* attigit; *Josepho Justo Scaligero* credi tamen magis potest, qui unam Lutetiam suo tempore 80 perfectas habuisse Bibliothecas, cum Londini tantum 12 reperirentur, in *Excerptis*, à *Puteanis*, ut fertur, congestis, retulit; Unde iudicium fieri facile poterit. Etsi verò tamen neque in Germania fungi aut vervecas habitent, neque Bibliothecis, s. *privatis* s. *publicis* quibusdam penitus illa destituatur, inter quas *Vindobonensis Casarea*, quæ *Lambecium*; & *Guelferbyrana Augustæa*, quæ *Conringium*, natae sunt Præcones, celeberrimæ; non cuius tamen hanc semper *adire Corinthum contingit*. *Gudiana* verò etiam Bibliotheca, preciosissimus ille *Hollatiæ* thesaurus, à *Morbosio* in *Polybist. C. 7. L. I.* adeo celebratus, cui hactenus magnopere profuit? Gallos in eo liberales esse constat, ut vel privatorum Bibliothecarum ad usus publicos facere copiam soleant. *Bodlejanam*, quæ *Oxonii* celebratur, Bibliothecam, non singulis tantum diebus, sed peregrinorum quoque usibus patere, notum est, ut secretiora etiam, & *MSCta*, amicorum Patronorumque commendatione expugnari haud difficulter queant. Non potuisset tam varia, tamque vasta, ab *Alegambe* in *Biblioth. Scr. Soc. Jesu*, p. 212, laudata opera, *Jac. Sirmondus* conscribere, nisi vel sola, etsi privatâ *Dion. Petavii* Bibliothecâ uti, rarissimosque ibi asservatos Codices *MSCtos* manu versare ipsi licuisset, quod ipse *Lud. Jac.* in *Traicté des plus belles Bibliot.* p. 552. fatetur. Vix *Seldenus*, vix *Conringius*, vix *Grotius*, tanti evasisent, nisi illi *Oxonienſis*, isti *Guelferbyrana*, huic *Batavorum* Bibliothecæ patuissent. Unde *Janus Gruterus* habuit, quòd tot Autores pristino nitore restituere, istam *Critices lampadem & artium liberalium facem* accendere, totque alia ingenii monumenta feliciter orbi communicare potuerit, nisi *Heidelbergenſi* (cujus maximi quondam Germaniæ thesauri nemo sine lachrimis merito meminere) *Bibliotheca*

*liotheca* præfuisset? Unde *Salmasius* habuit, quòd eruditionis suæ famam per Germaniam non solùm universam, sed & Belgium, Galliasque, & longius ad *oto divisos Orbe Britannos* diffunderet; quòd a doctissimis passim Criticis, ipsòque *Scaligero*, quibus admirationi erat *Juvenis*, per literas sententiam super locis dubiis rogaretur; quòd à *Gronovio*, *Varro* & *Erato-*  
*ribenes nostri seculi*, à *Scioppiog*, ipso *Literarum Princeps* appellaretur; nisi prima tam vastæ eruditionis fundamenta in eadem etiam nostrâ (heu quid dixi! immò olim nostrâ, quam rursus nunc nominare non possum) *Biblio-*  
*thecâ* jecisset? adjutore ipsi, quem antè memoravi, *Gronoviò*, quòd *Ant. Clementius*, in *Vita Salmasii*, ejus *Epistolis* præfixâ, perhibet. Quæ vel ob id eò lubentiùs refero, quòd Germaniæ ad eò nostræ non exigua etiam ex tantorum Virorum meritis pars inde attribuenda meritò veniat. Et unde quæso *Baronius* ponderosos illos suos, tot quippe passim (ut inique de *Centuriis Magdeb.* Papistæ calumniantur, V. *Miræum Elog. Belg.* p. 67.) onustos *mendaciorum plaustris* (quæ, quòd mireris, etsi *levia* esse aliàs soleant, multifudine tamen suâ & magnitudine, tantum illis *onus*, tantamq; *molem* concitiant) *Annales* congerere & constipare potuisset, nisi, ut ipse in præf. lectori latetur, *semper in Urbe versatus, diversas, quæ in ea sunt, Bibliothecas nobiles, Vaticanam præcipuè, perlustrasset.* Unde mirandum eò magis est, illis adminiculis, quæ nostra nunc ætas, exterisq; vel imprimis, offert, tantum non penitus desitutos Germanos nostros (ut vel unicum hoc nunc specimen producam, nostros de cetero *Chemnizios, Gerhardos, Bebelios, Dorscheos, Danhaveros, Arndios, Kortholtos, Sagittarios, Calixtos, Meyeros, Drejeros, Hildebrandos, Pelargos*, nunc cum aliis, imprimis adhuc superstibus, quos DEUS fervet! præteriturus) *Herculeo* prorsus labore stupendas illas *Hist. Eccl. Centurias*, quas *Magdeburgicas* vocant, opus quæ nuncquam antea pristina ætas viderat (quòd rectè Titulus Operis gloriari potuit, ut & in hoc ad eò primi *Germani* censendi sunt) jam olim adornâsse. Quapropter, etsi suis quibusdam navis illud haud careat, faciliè tamen excusationem apud æquos doctosq; rerum arbitros, invenit. *Richardus* certè *Montacutius, Cicestrensis* tunc, deinde *Norvicensis* in Angliâ *Episcopus*, in *Apparatu* ad *Exercitt. contra Baron.* etsi nonnulla invenerit, quæ comprobare nequirit, *si quid*, tamen benè inquit, *operi instituto de perfectione defuit vel debitâ vel destinatâ, ex æquo & bono, more majorum, possit excusari, tum, quòd principes rem aggressi, aliâ intentatam, illibatam; tum, quòd secundas curas non attribuerint.* &c. Quem & ipsum *Magnum* aliàs hujus Operis æstumato rem fuisse apparet, dum hos *Centuriatores facinus aggressos esse pulcherrimum, falsus est,*  
opus

opus arduum, Herculeam molitionem; qui de disiectis hinc inde, & vagè varièq; dispersis ruderibus antiquitatis collise, plerumq; dissipatæ & disiectæ, edificium quoddam insigne, ac usu eximium, orbi Christiano construxerint; dum id lautam sanè suppellectilem, & quoad fieri potuit, instructissimam esse, utilissimumq; Reip. Christianæ extitisse illud hominum laboriosissimorum *Cæm-  
pura*, imò opus esse, omni laude & acceptatione dignum, agnovit, dum plurima Centuriarum (quæ prolixè retulit ac deprædicavit) ornamenta, quæ nec negari possint, nec debeant, mentes movere, jucundâ luce perfundere, non ipsas solummodo res enarratas, sed vitam quoq; Historiæ, veritatem, commendare, & ad se legentium oculos animosq; blandissimè allicere, testatus est. Quæ & plura ejus encomia, sed prolixioribus longè verbis, Degoreus etiam *Whear*, Oxoniensis Acad. D. in *Relectionibus hyemalibus de rat. & meth. legendi Hist. Civ. & Eccl. P. I. Sect. 42.* repetiit, suoque calculo comprobavit. Immo, ne ad *Hoornbeeckii*, (qui in *Misc. Sacr. L. I. C. I.* opus arduum appellat, & egregium, ubi non historiam modò habeas Ecclesiæ integram, & perfectiorem quidem, quàm ea alibi extat; sed & judicium quoq; de doctrina, & rebus in Ecclesiâ gestis concinnè additum) aliorumq; exterorum testimonia provocem, stabimus vel solius *I. Casauboni* iudicio, quò neminem eo tempore rectius his de rebus judicare potuisse, vel ipse *Eruditiss. M. Britannicæ Monarchæ* credere visus est. Ille verò, etsi in partibus operis illius luculentissimi desiderari posse non pauca, ad *Jacobum R.* in *præf. ad Exercitt. Anti-Bar.* scribat, summam tamen hujus instituti laudabilem & Ecclesiæ nostris temporibus apprime fuisse utilem, non ipse tantùm fatetur, sed & neminem alienarum vigiliarum iudicem æquum negaturum, confidit. Neque vero Gallis hoc tunc operis displicuisse, sed maximi potius ab iisdem factum esse, vel ex eo colligimus, quod in suam istud linguam statim illi vertere cœperint, etsi (quâ de causa, ipsi noverint,) minimè integram, sed multis modis decurtatum ac depravatum, ut *Nostri*, in *Præf. ad Cent. VI.* conqveruntur. Hòc autem nunc horrendo sibi telo imminente, adeò rebus suis tam desperatis metuere, atque tremiscere Romana illa Synagoga incepit, ut suos quoque passim filios, ad excolendum rectius istud armorum genus, ex quo unicum sibi restare semper sperârat clypeum, instigaret. Sic *Nostrorum* adeo labori ipsi *Baroniani*, quos dixi, *Annales* (verè aniles, si cum *Centuriis* nostris comparentur) originem postea debuerunt, velut ipsi id Galli in *Journal des Savans* non dissentientur & *Calixtus* in *Apparat. Tb. p. 185.* ex *Stanislao Rescio* probat; ad quod deinde velut *Augiæ stabulum* repurgandum tot *Herculeæ*, qui post in eo labore desudarunt, ingenia, excitata sunt, tamque ab *Anti-Pæ-*



pais, quam Papais, Ecclesiastica Antiquitates, & ea, quæ Cymmeriis quasi tenebris antea cooperta jacuerant, ex eo tempore in lucem protrahi & sollicitè magis disquiri cœperunt. Hinc tot Baronii Impugnatores, Defensores & Hyperaspistæ, Continuatores, Epitomatores, Arbitri &c. orti sunt, quibus omnibus ex primo isto Germanorum ausu nata illa est occasio, quos jure igitur merito *hac in re glaciem fregisse* asserit, in *Introd. ad Hist. Eccl. C. 13. B. Sagittarius*, Præceptor quondam meus pie Venerandus. Sed, ut ad priora redeam, non hæc sola, quam antè attigi, est illa fundi nostri calamitas; verùm & alia accedunt, quæ, nisi insita nostratium mentibus vis, ingenitusque ardor obstaret, faciliè, ut Germania aliis literarum gloriæ vel ubiqve etiam cederet, effectura viderentur. Quot nascuntur apud nos ingenia, quæ, si debitis excitarentur præmiis, (quibus sane semper ali artes necesse est) vel suos saltem conatûs iis, sine quibus promoveri nequeunt, subsidiis adjuvari sentirent, tantùm, vel inter illos, qui ita sublannare Nostrates amant, caput efferrent,

*Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.*

Utinam illud incomparabilis nostri *Dorschei*, *Baronianos Annales*, cum quibusdam ex Nostris *συγγενταις* a capite usque ad calcem refutaturi, institutum, ea ratione, qua ipse (huic labori, si quis unquam par extitit, omninò succedurus) id intenderat, successisset, os profectò exteris ita obturaturus fuisset, ne unquam se præ Germanis hac in parte jactare, imò nec mutire auderent. *Baronium* & *Bellarminum*, a *Phil. Nerio* ad scribendum impulsos & adminiculis adjutos, suis operibus (quæ si duo Papæorum *Protocolla* dixeris, nihil a vero alienum dixeris) *Galerum Cardinalitium* meruisse, imò parum ob id a dignitate Papali abfuisse, accepimus. *Joh. Capellanum*, eò quòd *Carminis* sui *de puella Aurelianensi* spem fecerat, jam dixi antequam id daret 600. Imperialium dono quotannis affectum esse, relatum est. *Salmasium* multis aureorum millibus à Veneta Republ. ut ter saltem quotannis prælegeret, invitatum novimus. *Casaubonum*, à M. Britannia R. ad refellendum *Baronium*, maximis propositis præmiis evocatum, singulisque diebus ducato donatum constat. *Alexandrum M.* 48000. Coronatos *Aristoteli*, ad exploranda animalia largitum esse, proditum est. Sic præmiis honoribusque excitantur & aluntur literarum studia, quæ, nisi iusta Doctis Viris statuuntur precia, pessum ire necesse est: quam in rem *Locum* quendam *Communem* p. 17. *Polybist.* tractavit *Morbosius*. Porro ob stipendiorum sæpè tenuitatem, plerosque etiam multis alligari muneribus apud nos oportet, immò plerisque omnibus non uni certo tantùm studio vacare licet, sed quo-

dam-

dammodo *Pansophi esse debent, eoque rarissime uni disciplina excolenda totos se tradere possunt, ut justè conqueritur Majus, in Praef. Examinis Crit. N. T. Simonii*; quò ipsò distrahantur ingenia, & bonæ horæ, quæ uni accuratius tractando debebantur negotio, nunc multis simul impendendæ, plerumq; & plerosq; magis, quam industria aut ingenii nervi deficiunt. Sed ad alia. Neque succubuisse hactenus Germaniam penitus existimo, in augenda exornandaque *Rerum Naturalium Scientia*, quin & ipsâ *Medendi arte*. Quis nescit, quot & quanta illa nuper senserit incrementa, (non dicam ab oculo vitris armato, quo de jam superius quædam attingi, quæ nihil nunc addam; sed) ex quo tot illustria stupendaq; experimenta à curiosis instituta sunt ingeniis, ope admirandæ istius machinæ (*Antliam pneumaticam* dicimus) ab ingeniosissimo Viro, *Ottone de Guericke*, Col. Magdeb. primùm, & dudum sanè, antequam ab aliis, qui isto postea inventò ad tot nova experimenta usi sunt, tale quid tentaretur, excogitata? Ad hunc Nostrum verò primam hujus inventionis gloriam redire, neque *Schottus L. I. Techn. Curios.* in *Proæm.* potest differi. Quin & ipse *Rob. Boyle*, magnus inter *Anglos natura mysta*, editis primùm An. 1661. (circa quæ tempora *Soc. Anglicana* prima modò sumebat initia) *Novis experimentis Physico-Mechanicis de vi aëris elasticæ & ejus de effectibus*, in *Proæm.* ad *Guerickium* nostrum, *Generosum & solertis ingenii Virum*, nominatim provocat, (sic enim, *Cyrilli* verbò, ex *L. I. in Julian. σφῆς ἄλλος ἐπ' ἄλλῃ*) qui nuper in *Germania vasa vitrea, aërem per os vasis, in aquam immersi, exsugendo evacuaverit, quòd inde aëris externi immensa vis -- exposita & conspicua magis, quam in nullo alio experimento, à se antè viso, redderetur: id quod vel ex fama, de experimentis his à Guericchio jam An. 1654. in Comitibus Ratisb. coram Imp. Principibusq; institutis, acceperat; vel, è Schotti fortè L. de arte Mechanicâ Hydraulicâ-Pneumaticâ, An. 1657. editò, didicerat; nam & hic postea in Techn. Curiosâ, toto L. I. quasi in prægustum, multa præclara Guericchii experimenta, antequam ipse magnificum suum Experimentorum Magdeburgicorum Opus, de *Vacuo spatio*, publicaret, proposuit, ubi quoq; in *Proæm. L. I. ingenuè fatetur, nihil se unquam in eo genere mirabilius aut vidisse, aut audivisse, legisse, aut mente concepisse; nec putat similia unquam, nedum mirabiliora, à condito orbe, solem illustrasse; idemq; magnorum Principum & Virorum Doctissimorum judicium esse*. Quis præterea ignorat magnos illos Naturæ Bibliothecarios: (ut paucos ex multis nominem) *Kircherum, Welschium, Beccherum, Majorem, Volckamerum, Elsholzium, Frommannum, Wirdigium, Marci Marci, Leibnizium, Morbosium, Wedelium,**

*Sturmium*, *J. A. Schmidium*, *Kunckelium*, *Kirchmayerum*, (*Luminis* etiam *perpetui* indagatores, passim celebratos,) aliosque, immò totam S. R. J. *Academiã Naturæ Curiosorum*, s. *Leopoldino-Imperialem*, in id sedulò e-nitentem, ut *Naturalis Historia* magis magisque locupletetur, & communi opera ac manu in solido ponatur. Magnus omninò Vir apud Anglos *Baco de Verulamio* fuit, fatemur, cujus in methodo indagandarum cau-sarum naturalium, experientorumque inveniendorum, admiranda cer-tè fuit ingenii profunditas, unde suo tempore, ad tollendos quos benè multos in naturali scientia sentiebat defectus, de remediis sollicitissimus, viam, in *Novo* imprimis *Organo scientiarum*, maximè planam & naturalem monstrare studuit, ubi per inductiones sibi subordinatas ad principia tandem deveniretur, quam inde *historiam naturalem inductivam* appellavit, & inter desiderata meritò retulit, ejusque rudimenta quædam, aliquot exemplis, ut: in *Historia ventorum, vitæ & mortis, de natura gravis & levis* &c. magna cum cura proposuit. Ab hoc verò (ut facilè quis expeditum daret) qui tot hodie libros novis suis experimentis complent, quamplurima suorum videntur hausisse, ut diceres, vix quicquam nunc præclari à multis Anglorum isto in argumento scribi, & pro inventis singularibus venditari, cujus non in Baconianis jam passim scriptis reperire liceat vestigia. Ille enim Vir, tum aliis impeditus negotiis, tum argumenti immensitate victus, cum ipse ad optatum finem cogitata sua perducere nequiret, indice quasi digito vias ostendit, quibus factò nunc ipso non pauci popularium ejus insistant, primæque inventionis gloriã superbiunt. Longè sanè vastius fuisse apparet istius Viri ingenium, quàm eorum, qui levi aliquo experimento, eoq; nequidem suo, ita triumphant, & ab illo vel universam statim naturam suspendere præsumunt, quod jam antè ipse etiam *Baco*, in *Novo Organo Scient.* §. 64. metuerat futurum; qui & hoc jam præviderat, unius illud hominis opus haudquaquam fore, sed multorum demum, qui uno consilio & sensu in experimentis ducantur, sumtusque tanto operi pares suppeditent, & Regiis adèdè auspiciis rem agant. Et videntur omninò illa, quæ *Baco* duxit, lineamenta, ansam posteris præbuisse, ut colorem saltem illis adderent; hujusque Viri consiliis, in elegantissima illa *Fabula novi Atlantis, Novo Organo*, aliisque ejus scriptis dudum propositis, deberi, quicquid præscriptum est hætenus in *Soc. Reg. Anglicana*, ut noster etiam *Morb. Polyb.* L. I. p. 150. indicavit. Nec ipse *Thomas Spraat* id videtur dissimulasse, in *Hist. Soc. Anglic.* 1667. Lond. anglicè edita, & gallicè postea translata, quando, ubi recentioris ævi felicitatem cum veterum in *Phyfica defectibus*, comparare intendit, initiò

Vern-

*Verulamium*, ut par erat, magnificis celebrat elogiis; etsi præter meritum quædam ibi tanto in Viro videatur desiderare. Quod verò idem suorum temporum studia Antiquorum industriæ ac felicitati tantùm ibi præferre sustinet, nescio num ferendus in eo sit omnibus. Ne enim de eo dicam, quot & quanta sint Veterum, tum in naturâ, tum in mechanicis artibus inventa, de quibus vix per nebulam nunc nobis amplius constat; (qualia v. gr. sunt, quæ de *Archimede* apud *Plutarch.* in *Vita M. Marcelli* reperimus, immò ea omnia, quæ *Guido Pancirollus*, in suo *de Rebus deperditis* Libro, à nostrate *H. Salmutho* ex Italico verso & doctis notis illustrato, inq; ejus Supplementis noster quoque *Mich. Watsonus* complexus est; quò & *L. de Inventis Novantiquis*, *Almelövenii* spectat; ) certè virgulâ aliquâ Criticâ *Societas Angl.* notata ob id fuit, à *Merico Casaubono*, in *Epistola ad Petr. Molinæum*, de studio *Soc. Reg.* anglicè scriptâ, ubi multa Veterum inventa & artificia modestè illi objecit, quibus nondum ea dederit similia, istaq; hodiernis conatibus longè prætulit. Quemadmodum & *Henr. Stubbe*, ipse etiam Anglus, in suis contra *Societ. Angl.* libris, jam simile quid conatus est, quibus multa istorum inventorum jam tum ab Antiquis tradita, vel aliis nationibus subrepta, ostendit. Quod fortè nec temerè dixisse ille videtur; Sunt sanè inter Anglos non pauci, alienæ gloriæ valdè quandoque invidi, sibi tribuentes omnia, aliarum verò gentium, imprimis Germanorum, studia extenuantes, unde tamen sæpè multa eorum depromunt, quibus ipsorum libri turgent. Exempli loco esse posset, quod de *Tubo acustico*, *Kircheri* invento, sed à *Morlando* ipsi surrepto, jam antè attuli. Cui affinis quodammodo est illius artis inventio, cujus ope homo, à nativitate sua surdus, atque adeo sermonis etiam expertus, per solum visum informari potest, ut sic satis expedite loquatur, eque laborum motu, in loquentibus ipsi observando, ipsum verborum sonum ac sensum animo sibi concipiat. Hæc sc. de arte *Epistola* quædam *D. Joh. Wallis*, è *Societ. Reg.* in *Transact. Philos. Anglicanis* reperitur; *Will.* etiam *Holder*, Medicus Anglus, itidem è *Societ. Angl.* in suis *Elementis loquæ*, anglice 1669. editis, idem inventum descripsit. Illa verò magnificè laudantur in dictis *Transactionibus*, quarum Editor, *Wallisii* librum de *ratione sermonis & pronuntiationis*, (quem Grammaticæ suæ Anglicæ is adjecit,) quippe quo fundamenta huic arti sternuntur, tantoperè extollit, quasi ante eum naturam potestatemq; literarum ita descripsit nullus; cum tamen jam dudum *Hier. Fabricius ab Aquapendente*, Med. Patavinus (quem *Aloës rosata* inventorem fuisse *Cl. Witte* in *præf. Diar. Biogr.* docet) pec. Libro longè curiosius hoc idem præstiterit, nec non *Montanus*, in *L.* cui si-

tulurâ

zulum fecit: *Spreckel's Kunst*. Quemadmodum ipsam hanc surdos ita informandi artem prolixè satis, & methodo perspicuà jam ante quoque descripsit *Jo. Paul. Bonettus*, eamq; ipse effectui dedit. Quod idem ante paucos annos *D. Ammannus*, nostras, in L. cui tit. *Surdus loquens*, se Harlemi præstitisse, hancqve suam, qvam ibi pulchrè, & melius qvàm unqvàm antè factum esse constat, descripsit, artem suoapte se ingenio excogitasse, anteqvam vel quicqvàm hujus rei apud alium legerit, testatur: ob hoc vel imprimis æstimandus, qvia, qvomodo in *Germanica* lingua res ista commodissimè peragi possit, tam perspicuè docuit; qvòd *Helmontius*, in *delineatione Alphabeti verè naturalis Ebraici*, qvàm solam *Ebraeam* monstrare fuit conatus. Et videtur utiqve ars ista longè esse vetustior, ex illis, qvæ magnus ille literarum in Germania restaurator, *Rud. Agricola* jam olim tradidit, in *tertio Librorum de Inventione Dialectica*, C. ult. (ex quibus quoq; qvòd obiter dicam, *Pet. Ramum*, magnam eorum partem, qvæ de inventione Rhetorica, ad solos Locos Dialecticos reducendà, tanto cum strepitu olim docuit, desumfisse certum est, qvòd & *Keckermannus Præcogn. Loc. Tr. 2. C. 4.* indicat) Sed, ut his similibusqve missis, ad superiora redeam, in eo satis candidus existimandus est laudatus *Dn. Spraat*, qvòd in dictæ *Societatis Historia*, indolem illam inquisitivam Germanorum, præ reliquis nationibus, laudet, & gloriæ adeo suæ genti ducat, eam e Germanis esse propagatam, atq; ita ex illa origine istam simul indolem fuisse in suos quasi transfusam; qvo certè ingenio de nostratibus testimonio popularium suorum multis præferendus est. Latent enim, ne nunc ad miranda quædam Germanorum Opera, automata, Horologia, Organa, Campanas, Machinas, Technotamia, Ædificia, Pontes, Armamentaria, sculpturas, coelaturas, texturas, tornandi condientiæque artes, aliq; his similia, (qvæ nec ipsi exteri, ut ap. *Æn. Sylv. Ep. 170. Paul. Jov. in Elogg. Doctor. Virr. in fin. & Bodinum, in Meth. Hist. C. V.* videre est, agnoscere nequeunt) provocare opus sit; latent, inqvàm, omninò in Germania nostra, apud Operarios Chymicos, (qui certè nobis sunt insignes, & quibus vix ulla in gente pares reperias) experimenta, qvæ si è tenebris producerentur, aliarum nationum conatùs longè superare possent, eò qvòd homines hujusmodi solertiores esse soleant, qvàm qui Scholas nimis sapiunt, totqve præjudiciis excœcati, intentatam sæpè experimentorum viam habent. Unde si quis eorundem arcana sagacior perreptaverit Philosophus, miris modis doctrinam Physicam videretur locupletaturus. Et legere hæc forte operæ precium erit *Mich. Majeri Com. Imperial. Consist. L. de veris inventis German.* ut & *D. Job. Joach. Beccberi, Viti tot ingenio-*  
sis

fis tamque varii generis, sed & utilissimis inventis sanè felicissimi, elegantem libellum: *Narrische Weißheit und weise Nartheit* / in quo non sua solum, è plurimis, aliqua, sed & multa alia Germanorum, sæpe etiam ex plebe, inventa & ingeniosa opera, utilissimè excogitata strictim memorat. Videas ibi Germanis inter alia vendicari inventionem præparandi *Oribalcum*, *Vitrum rubrum*, *Aquam fortem*, *folles ligneos*, *Phosphorum*, *Noctilucam*, *Circulum Proportionalem*, plurimaque alia, quæ ingeniosam rerum indagandarum inveniendarumque indolem, genti nostræ ingenitam, quam *Spraat* in ea celebrat, non vanè arguere possint. Quantum sibi verò indulgeat idem Anglus, quando d. l. primos esse Anglos jactat, qui hoc in studio ita tale quid tentaverint, satis vel ex iis apparet, quæ l. d. p. 142. sq. *Morhofius* adduxit, ubi jam diu antè in Italia hujusmodi passim viguisse *Societates* probavit. Immò si vetustiora respiciamus, certè decantatum illud *Druidum Collegium*, quod ex *Celtarum* Philosophis constabat, & ante tot jam Secula, nostris in terris viguit, omnium etiam Veterum, *Agyptiorum*, *Magorum*, *Chaldeorumque Societatibus* (ut *Guil. Postellus* in L. de *Etrurie Origine* P. 233. docet) ætate prius fuit, per quos ex nostra adeo etiam Germania variæ colonix in gentes alias ductæ sunt. At illos verò ejusdem generis doctrinas, quàm quas *Asie* etiam Sapientes tradebant, excoluisse in Occidente, constat, & *Diod. Siculus* testatur, qui L. 5. C. 31. eos *Θεολόγους καὶ Σέας Φύσους ἐμπέρας* vocat, *Ammianus* etiam *Marcellinus*, l. 15. illos *summa & sublimia natura pandisse* perhibet. Unde de ista tam antiqua *eruditiorum* nostratium *Societate* hodieum eò sibi magis gratulatur Germania. Neque hic possum, quin *Societatis* etiam *Literariæ Rhenanæ* mentionem faciam, quæ ante duo jam secula in Germania floruit, a *Conr. Celte*, cum bonæ literæ novum in Occidente florem recuperare inciperent, instituta, quæq; eo tempore, Anglis nec talia cogitantibus, non solum historica, Poëtica ejusque generis alia, sed & *physica* studia excoluit, quod vel e L. 2. *Odorum Celtis*, Od. 2. patet, quam inscripsit: *ad Sodalitatem literariam Ungarorum, de situ Buda* &c. (Ex *Ungaris* enim, uti aliàs per universam etiam Germaniam, quod l. d. ex L. *Epod.* num. 14. videmus, nonnulli in hanc *Societatem Celticam* recepti erant, non aliter ac hodie ap. Anglos;) ubi meminit *Colloquiorum de nebula, procellis maris, iride* &c. Quemadmodum alia ejusdem Collegii studia tangit L. 3. Od. 8. & seq. *Sociorum* quoque numerantur XIV. post *Dedicat. Operum Rhoswitæ*, celeberrimæ istius Monialis Germanicæ, & Poëtriæ Seculi X, doctissimæ, *Noribergæ* ab illa Societate An. 1501. *sub privilegio Sodalitatis Celticæ* (ita in calce libri legimus) a *Senatu R. Imper. impetrato*,

petrato, editorum. Inter illos sunt *Jo. Dalburgius, Wormat. Episc. Societatis literariae per universam Germ. Princeps, Jo. Tritemius, Abbas Spanbemens. Wilibaldus Pirckbaimerus*, aliiq; Viri tunc temporis celeberrimi, nec hodiè ignorati. Ipse *Celtes*, quod *ὡς ἐν πνεύματι* memorandum, X. annorum iter per totam Germaniam, aliasque provincias suscepit, imprimis ut antiquos & nondum impressos inquireret Codices, & si quos in *Hercinia sylvæ, Alpibus, obnobiisq; montibus & vastis Germaniæ solitudinibus, paludibus, etiam in monasteriis & Cœnobiis Druidarum, locupletissimè a nostris Imperatoribus & Ducibus fundatis, inveniret, nostrorum seculorum felicitate per impressoriam artem, a nostris hominibus inventam, in lucem proferret, ut ipse ait in *Dedic. Operum Rhosvite*. Ubi & *Illustratæ* suæ Germaniæ meminit, quod opus illæ affectum quidem tum habuit, ut ei non solum rara & antiqua *MSCTa*, ad Germanæ gentis gloriam amplificandam spectantia, infereret, uti *Schardius* postea, *Reuberus, Pistorius, Freberus, Urstifus, & Meibomius*, fecerunt; sed & ipse pluribus istas antiquitates illustraret; quod benè colligit ex verbis ipsius *Societatis* (quæ *Vitam Celtiæ* Poëmatibus ejus A. 1513. 4. Argent. publicatis, præfixit) *Cl. Tenzelius* in *Colloq. Menstr. Ann. 1693. p. 976*. Ubi non possum, quin & vehementer optem, ut *Collegium* illud *Historicum Imperiale*, cui instituendo autor nuper Germaniæ *Ferdinandus*, laudatus *Episc. Paderborn.* fuisse dicitur, cujus tum *Medicus, Dn. D. Paullini*, illo defuncto, *Delineationem* istam, quæ prodiit, ediderit, felici quamprimum successu florere incipiat, quandoquidem relatum nobis est, in eo jam esse nonnulla hujus *Societatis* futura Membra, ut in componendis *Annalibus Germanicis* operam juncto studio navent sedulam, de quo Patria sibi nostra impensè gratulabitur. Interea nuperius denuo novam *Eruditorum Societatem* (*den Belorbeerten Teuben, Orden*) idem fortè *Paullini*, Germaniæ suasit, singulari *Schediasmate* A. 1692. delineatam, ubi ad scopum paulò generaliore illa dirigitur, ut sc. in *Philosophicis, Poëticis & Oratoriis* excolendis, patriæq; nostræ antiquitatibus eruendis elaboraret, suaque observata deinde tum prosâ, tum ligatâ, Germanicâ tamen lingua, orbi communicaret, quò suus ei nitor & patriæ suus quoq; honor apud externos conflaret; quò adeo pactò & ea, quæ *Sueci* in *Collegio* suo *Antiquitatum* sibi proposuerunt, ista sibi Societas videretur vindicatura. Sed ex iis, quæ antè dicta sunt, satis nunc apparet, dudum ante Anglicam Societ. hujusm. Collegia, quæ & *Physica* excolerent, vel ante duo, imò plura secula apud nos fuisse instituta. Neque verò de aliis Societatibus jam quicquam dicam, quæ, in alios quidem scopos, etiam ante Anglos, erudita hæcenus fovit Germa-*

nia,

nia, qualis est der Fruchtbringende Palm-Orden / cui propositum hactenus fuit, vernaculæ nostræ ( cui Anglos & Batavos adeo insultare, antè ostendi ) excellentiam, qvæ linguis Europæis aliis verborum copia, leporum suavitate, sententiarumqve gravitate palmam non dubiam modò faciat, sed præripiat, erudito Orbi probatam dare, & qvæ jam ex eo tempore, qvo An. 1617. cœpit, *Præsides* habuit 3. *Rom. Imp. Principes*, quorum primus *Ludov. Dux Anhalt.* à IV. Principibus & IV. Nobilibus fuit electus, cui *Wilhelmus* postea, *Dux Saxo-Vinar.* & *Augustus*, *Dux Saxo-Hall.* successerunt; sub quibus adeo laudatissima hæc Societas crevit, ut (teste *Neumarch* im *neusprossenden Deutschen Palmbaum*) præter tot Viros alios Celeberrimos, 800. *Nobiles*, 45. *Barones*, 60. *Comites*, 19. *Principes*, 8. *Comm. Palatini*, 10. *Landgravii*, 4. *Marchiones*, 49. *Duces*, 3. *Electores*, immò & *Carolus Gustavus*, *Succ. R.* eam ornaverint. Uti in hanc quoqve finem *Academia Francoise*, in *Gallia*, à *Card. Richelieu*, suasu *Dn. Capellaine*, instituta est, cujus historiam a *Dn. de Pellisson* consignatam esse constat. Taceo die Fruchtbringende Gesellschaft (quam *Carolus Christ. Hilleus* descriptam dedit, im *Deutschen Palmbaum*;) die *Pegnitz Schâfferey*, den *Zimbrischen Schwanen Orden*, die *Deutschgesinnte Genossenschaft* &c. quibus idem institutum fuit. Nec de eo dicam, quod suo quoqve tempore *Illustr. Dn. à Boineburg*, peculiare *Eruditorum Collegium* intenderit, quod *statum rei literariæ*, instituto per totum orbem literarum commercio, peculiariter observaret; *Hamburgi* quoqve nuper An. 1690. d. 6. Jul. cœperit die *Kunst- & Rechnungs-Liebende Societät*, cujus instituta in libello 1691. 12. *Hafniæ* excuso, enarrantur, qvæ & nonnulla jam pridem luci exposuit, ut sunt: *Des Continuierenden/ Neu-angelegt-Historisch-Algebraischer Garten*; *des Denckenden/ Arithmeti-Geometri-Algebrai- und Historische Ergâhligkeiten*; *des Hoffenden/ Informatorium Arithmetico-Problematicum, ex Regula alligationis adornatum*; *des Mehrenden/ Algebraische Kunstfette*, &c. Optandum verò esset, ne tam facile apud nos impedirentur, qvæ optimo sæpè consilio vel instituta sunt, vel saltem intenduntur, Collegia; sic, præter nonnulla jam memorata, neq; *Dn. Tschirnhausii Collegium*, pro indagandis accuratius in rebus Mathematicis & Phycis veritatibus, successu destitutum fuisset, quod ille salutari utiqve consilio, in *Medicina Mentis* P. II. p. 203. svaferat; Neqve illud, quod *Dn. Praschius* im *Unvorgreiflichen Entwurff der hochschulmlichen Deutschliebenden Gesellschaft* proposuit, *Philologico-Politicum*, tam salutare ad excellentiam nostræ vernaculæ Orbi demonstrandam, qvàm quod maximè. Utinam, ut apud An-



glos, Verulamius; ita apud nos *Magnus Pegelius*, auditus fuisset, qui An. 1604. pec. L. cui tit. *Thesaurus rerum selectarum, magnarum, dignarum, utilium, suavium, pro generis humani salute oblatum*, varia, tam in studio naturali, quam ceteris disciplinis, omnibusque artibus Mechanicis, arcana, noviter a se inventa, Orbi proposuit, cum iis, qui sumtus in talia facere, suoque labori mercedem statuere vellent, communicanda. Inter quæ sanè sunt, in quibus excogitandis hodiernum eruditorum desudant ingenia, immò & quæ nunc inventa magno passim ducuntur triumpho. Pollicitus ibi est, inter alia, Pegelius, consilia, quomodo nonnulli a Magistratu, Magnatibus, Communitatibus, & Civitatibus deputandi, utilissimas res invenire & sic inventa ulterius experiri queant, quo ita futurum sit, ut etiam homo unus, & diebus paucis, & domi quidem, longe utiliora experiatur, quam vel ipse *Alex. M.* quem ad indagandam animalium naturam pro Aristotele 48000. Coronatos impendisse tradunt. At dolendum, nihil istarum, inventionum clarius Orbi innotuisse, neminemque sumtibus eum adjuvisse, ut in effectum tot & tanta inventa deduci potuissent. Varia illius & curiosissima quædam experimenta Morhofius, l. d. p. 20. velut in compendio, recensuit; inter quæ est Machina quædam, ita fabricanda, ut quocumque eam tempore quilibet s. fortior, s. infirmior, agitare possit, de qua *Pegelius* l. d. p. 125. quædam inventum in *Anglicis Gallicis*, hodie *Actis* comparet. *Navigia* quoque, non solum *submaritima*, sed & *aërea* construendi artem idem inventam habuit, (vid. p. 127. & 125. l. d.) quales machinas aëreas postea *Franc. Lana*, in L. Italico *Prodromo all' arte maestra* C. 6. sibi etiam cognitæ jactavit, per globos cupreos, aëre evacuato, naviculas, velis remisque suis instructas, in altum tolli posse arbitratus. Reperit & *Instrumentum Pantographicum*, (vid. p. 168. l. d.) quædam *Scheinerus* etiam noster postea sing. L. descripsit. Porro &, quomodo è fundo maris naves & res aliæ recuperari possint, docere *Pegelius* voluit, (v. pag. 137.) quod hodie quoque inter Anglicana inventa ponitur; & alia plura hæc tacenda. Non tamen prætereunda est Ejus ratio *Chirurgica insignis & rara, homini communicans externa, quæ ipsi bona, & interna multa, quæ noxia, avertens*, quam habet p. III. l. d. de quâ fortè non immeritò suspicio *Chirurgie alicujus infusorie*, qualis non ita pridem à Medicorum filiis exerceri coepit, *Morhoso* orta est. Eam verò quis nunc denuò invenerit, etsi sub judice lis sit, nescio tamen, num prior quis ante Dn. D. *Elsholzius*, Medicum Brandenb. admirandam istam Chirurgiam factò ipsò tentaverit, aut scripto aliquod ejus rei experimentum publicaverit. Celeberr. quidem Dn. D. *Major*, A. 1664. Librum de *Chirurgia infusoria, circa nonnullos agonizantes adhibendam*,

bendâ, ediderat; *Elsholzius* verò jam An. 1661. Coloniae ad Spream, occasione anatomiae alicujus, ubi facta in brachii venas aquae calidae infusione, circularem sanguinis motum quodammodo ostendebat, in has cogitationes incidit, annon & vivis corporibus illa, venis certa quaedam pharmaca infundendi, praxis queat applicari? unde ipse ex eo statim tempore aliquot hujus rei experimenta in brutis & hominibus etiam, coepit, quae postea 1665. editâ sua *Clysmaticâ novâ* primus publicavit. Equidem in *Journal des Sçavans* Anni 1667. d. 28. Jun. Gallos sibi hujus inventi gloriam arrogare video, eò quòd quidam testari possint, ante decem jam tum annos *Roberto des Gabets*, idem in mentem venisse; sed Anglos interea suum hoc facere ausos esse inventum, factò in brutis circa *sanguinis* transfusionem experimento, quod tamen Galli sibi rursus vendicaverint, tentatâ primùm re in hominibus. De Germanis ne illic quidem sit mentio, quasi nihil hi partes heic habeant, cum vel palma ipsis prae omnibus debeatur. Fingamus enim, in Gallia jam diu antea hac de re cogitatum fuisse, tamen vel sic vincimus Germani, cum noster *Pegelius*, ut apparet, jam initio hujus Seculi illud tanquam à se excogitatum indicaverit. Sed & hoc nihil esse fingamus, annon potuit per *συνέμνησιν* quandam res eadem diversis in mentem venisse; quemadmodum *Anacharsis* in Scythia, & *Hyperbius* Corinthi, eodem tempore rotam figulinam invenisse dicuntur? Quia vero res haec, non in mera speculatione & discursu; Sed vel imprimis in operatione manuali & *πείρασι*, experimentorumque per scripta publicatione consistit, non possum hactenus ante *Elsholzium* vel *Majorem* nostrum illud inventum cuiquam attribuere. Quicquid verò ejus rei ab exteris (qui ita omnia in Germanorum invidiam loquuntur, ne & heic illos agnoscere suos quasi *Pædagogos* opus habeant,) per experientiam compertum vel scriptum fuit; quomodo *Car. Fracassatus* id canum venis, certorum liquorum infusione, applicaverit in Italia; quomodo *Losverus*, sanguinem brutorum transfundendo, istud in effectum deduxerit Oxonii, idquè *Boylæo*, ut Societati Regiae communicaret, indicaverit; quomodo deinde *Dionysius* illud etiam Parisiis, tum in brutis, tum in hominibus, tentaverit; quomodo *Tardy*, in Tr. de l'écoulement du sang d'un homme dans les veines d'un autre, hanc Chirurgiam stabiliverit, & quomodo in utramque deinde partem inter se Galli aliique de hac nova curandi methodo disputaverint; illa omnia demum post *D. Majoris* & *Elsholzii* scripta & experimenta divulgata contigisse constat. Quid? quòd Anno 1642. jam in Germania infusionem factam esse, *Dn. Philippi* & *Dn. Bullialdum*, Viros inter Gallos Clarissimos, Ann. 1665. (etsi nesciam, quibus ex documen-

tis?) Dn. *Tuteli* docuerit Epistola; quorum ille, in suis ad hunc Nostrum literis, d. XXIII. Aug. Ann. ejusd. Parisiis redditis, (quas *Ephem. Gall.* in fin. T. II. recensent;) certum inde esse, fatetur, *Anglos*, (cur nec adeo *Gallos*?) qui primi hujus se rei inventores predicant, falli. Taceo, quod nostro jam *Libavio*, sub initium hujus Sec. hanc quoque Chirurgiam fuisse compertam, aliqui pro certo affirmare non dubitant. Sed, quod nunc *ως ἐπεὶ* heic addo, non minus admiranda illa etiam Chirurgia visa est, à nostratibus quoque Medicis jam aliquoties feliciter tentata, quæ cultrum, in hominis stomachum infelici casu delatum, apertò per scissuram ipsò ejus ventriculò, rursus exemerunt, & sanitati illum, omnium cum stupore, felicissimè restituerunt, qualis inaudita sane hætenus curatio, uti nuper *Halla*, ita primùm *Regiomonti* instituta, ejusque rei historia sing. L. de *Curatione Cultrivori Prussiaci*, A. 1640. edito, descripta est à *Dan. Beckero*. Verùm non licet his nunc diutius immorari, aut præter eos, quos ante jam laudavi, adhuc multos (quod fieri facile posset) ex nostris, qui in *Chirurgia*, *Anatomica*, *Chymicaque*, arte summum, etiam apud exteros cordationes, nomen consecuti sunt, longò Catalogo recensere. De uno saltem *Theophrasto Paracelso* quid dicam? quem tria illa, quæ *Chymici* statuunt, corporis naturalis principia, primum habent autorem, quicquid totam primus *Chymiam*, olim diu obscuratam, sua tempestate rursus illustrare augereque cepit, uti ap. *Adam.* in *Ej. Vita* testatur *Guinterius*. Is certè, si manus à Theologia abstinuisset, nec dogmata sua ad fanaticam aliquando Philosophiam extendisset, plus sibi laudis, invidiæ minus parasset, omni que laude major videri potuisset, cum summi etiam Viri, maximum in eo ingenium, & ad res naturales contemplandas perspicacissimum admirati, eum magnam arti medicæ intuitu- lisse lucem fateantur. Non verò ego hoc eum nomine, sed alii, & vel ipsi exteri, laudabunt. *Petrus* sanè *Ramus*, in *Orat. de Basilea*, vix digna satis verba reperire potuit, quibus laudes ejus extolleret, sic eum, ait, *in intima nature viscera penitus introivisse, metallorum stirpiumque vires & facultates tam incredibili ingenii acumine explorasse, ac pervidisse, ad morbos omnes, vel desperatos, & opinione hominum insanabiles, percurandum, ut cum Theophrasto nata primum Medicina perfectaque videatur; immò neque cum Asclepiade, celebratissimo quondam Romanorum Medico, eum conferte dubitat. Joseph. verò Quercetanus, in Opere de Ortu & causis Metall. e- quidem mihi, inquit, nunquam proposui, ipsius Theologiae patrocinium suscipere; neque ipsi in omnibus ad stipulari unquam cogitavi, tanquam in ejus verba jurassem; sed præter id testimonium, quo Erasmus illum quibusdam*

*Epistolis,*

Epistolis ornavit, ausim ego dicere, & tueri, multa illum pene divinitus in re medica docere, & quæ nunquam satis admirari & prædicare grata posteritas possit. Gellii etiam Zemei elogium, quod Paracelso suspendit, hoc Adamus I. d. attulit, qui, apud Germanos, dixerit, nunc Vir adolescens existit, cui parem Orbis non fert, qui adeo excellenter in Philosophia, Medica & Mathematica arte, atq; de Rep. & justitia scripsit; quod, credo, aut mira influenza in eo sit naturalis, aut major S. S. gratia in eo, aut immensa Daemonum existentia. Nam inhumanum hoc est perferuari, quod ipse vilipendit saltem, doctiorem me legisse memor non sum. Sed bene est, quod Magiæ crimine, quo à nonnullis insimulatur, eum absolvat ex Gallis vel ipse Gabr. Naudæus, Vir Doctiss. in antè laudatâ Apologie pour tus les grands Personages &c. Ut verò & illustria Germanorum in ROM. JURIS Disciplinam merita vel leviter degustem, quæ tanta alioquin sunt, ut nulla ea vetustas sit obscuratura, nulla deletura oblivio; sufficere nunc (ne quid de Lothario & Frider. I. Imp. ex superioribus repetam) vel unius Irnerii nostri memoria poterit, quem Juris Lucernæ nomen promeruisse, Tritheim. in Cat. Scr. Eccl. testis est. Is siquidem, quod imprimis genti nostræ gloriosum ducimus, cum Ravennâ, ubi Libb. Artes docuerat, Bononiam eodem fine invitatus, nescio cui de axe & asse controversiæ Grammaticæ cum aliis Magistris (ut Card. Hostiensis in C. I. extr. de Testam. n. 2. perhibet) implicaretur, eâ ibi occasione Justinianicum Jus, oblivione fermè sepultum, Sec. XII. resuscitavit, & ei in lucem rursus protracto florem ac nitorem reddidit, idque apud Italos, magno Auditorum concursu, publica ex Cathedra primus docere cepit, uti omnium etiam consensu tradit, observat (in Antiqq. Acad. Diss. III.) Conringius. Fusiùs rem omnem exponit, in Chronico, Abbas Urspergens. qui Wernerium vocat, ejusque hoc in genere merita non dissimulat: quem adm. idem hoc ex Odofredi (cujus Præceptores Irnerium audiverant) testimonio refert Sigon. L. XI. de Regn. Ital. cumq; primum glossas, ut vocant, in illud (Jus) scripsisse, memorat, quem deinde alii secuti, certatim illius industriam emulati sint. Unde & non solum Itali, (quorum aliquos p. 39. nominavi) gratissimi hæc Nostri merita venerantur, & Bononienfes in publico Gymnasii loco, ubi Legislatorum, & Jctorum effigies posuere, illam Irnerii hæc inscriptione ornavit: Irnerius omnium primus leges commentatus est An. MCXXVIII; Sed & Gallorum Journal des Scavans, ad Ann. MDCLXVI. d. 15. Febr. fatetur: Irnerium An. MCXXX. fragmentis nonnullis Librorum Justiniani casu repertis, cum admiratione omnium auditorum suorum ea docuisse in Acad. Bononiensi, ubi Professor fuerit; inde stimulum

*multum sensisse, ad quærenda & reliqua, idque eo cum effectu suscepisse, ut tandem agrè integrum Juris Justiniani Corpus, uti nunc illud habemus, consarcinaverit.* Quanti verò nominis suo avo Irnerius fuerit, vel ex verbis *Otonis Murene, Chronologiæ Laudensis Scriptoris* *συχέων*, à *Baronio* (L. XII. *Annall. ad An. 1558.*) adductis, liquet, ubi, nominatis *principalibus IV. LL. Doctoribus Bononiensibus, isorum autem, ait, & quàm plurimorum aliorum fuit Dn. Guarnerius Doctor antiquior; ad quem, cum in extremis laboraret, accesserunt sui scholares, dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram Doctorem nobis constituere. &c.* Conf. *Trithem. & Urspergenscm* II. dd. *Panciroll. de Clar. Jur. Interpp.* L. II. C. 13. & *Dionys. Simonis Nouvelle Bibliothéque Historique & Chronologique, des principaux Auteurs & Interpretes du Droit, depuis Irnerius, aliosque.* Nec minus de CANONICO, quod vocant, JURE, præclarissimè *Germanos* meruisse, si & hujus saltem primordia vel obiter respicimus, luculentè apparet. Equidem haud nescio, *Gratianum* Sec. XII. *Decretum* illud suum, quod in Scholas postea receptum est, condidisse; At fundamenta tamen ejus jam initiò Sec. XI. jecerat *Burchardus, Ep. Wormat.* qui ingens *Decretorum* Volumens, XX. Libris, & Conciliis, Pontificibus ac Patribus, collegit, quem *Ivo Carnotensis Ep.* imitatus, simile postea *Decretorum* Volumen congeffit, quæ *Gratiano* postea in usum laudemque cessisse constat. Imò consarcinatò jam sic *Gratiano Decreto, omnium primus* id noster *Jo. Semeca Teutonicus, Præpositus Halberst. Herculeâ, ut ajunt, audaciâ glossare ausus est, (Königii verba recito, ex Bibl. V. & N. p. 746.)* indeque in *Epitaphio* vocatur *Lux Decretorum, Dux Doctorum, Via morum;* quem condignis etiam laudibus *Trithem.* in *Cat. Illustr. Scr. Germ. Panciroll.* l. d. L. III. C. 6. & *Adamus;* in *Vit. Jct.* p. 1. celebrarunt. Ex quibus veli solis, quantum *Utrumq; Jus, Germanorum* quoq; industria debeat, nemò clarissimè non perspicit, nisi quis oculis, prorsus livore suffusus, nihil etiam, nec ipsum adeo solem in meridie, videre possit. Equidem crediderim, *collyrio, ex nigra felis secundina confecto* (quod ad videnda invisibilia præscribunt *Rabbini, (v. Wagenf. in מויד p. 482.)* Germanorum obtrektoribus, ut hæc aliæque eorum, maxima certè ubique, & verè illustria in omnes literas merita, videant, opus haud fore; quibus tamen quid gratiarum sæpè respondeat, si quæras, non nisi convitia & cavillos audias. Immo id *Germanorum esse fatum, rectissimè dixit* (l. d. p. 263.) *Morbosius, ut eorum operâ & industriâ exteri feliciter utantur, quod, ut dissimulare tutius possint, convitiis & contemtu eam à se suspicionem amoliri illos conari.* Hinc & nobis, cum insigni crassioris ingenii notâ, prægrandes Librorum

brorum moles objiciunt, diversissimorum etiam argumentorum congerie prægnantes, quibus, si absurda detrahantur, alienaque expungantur, parum succi relinquatur aut sanguinis, quasi *insanabili scriptitandi cacœthæ* laborantes, interituram credamus Remp. Liter. nisi, ut novi quidam *Atlantes*, giganteos humeros supponamus, & lapsabundam *Minervæ* eadem verbo aggere fulciamus; quòd *magni Locorum collectores simus potius, quàm nostrum aliquod in medium proferentes: quod vitium omnibus Germanis, præter Georg. Agric. & B. Rhenanum, peculiare esse*, ipse etiam *Scal.* (in *Excerpt.* p. 80.) dicere non est veritus. Ita verò, consuetà sibi maledicentiâ, in omnes diffundunt, si quid ab uno fortè aut altero peccatum est; non considerantes, nec ipsis deesse, qui *insontes onerant chartas, & præla fatigant*, librosque, ut agros, decempedâ metiuntur; neque semper (*Callimacho* ap. *Suidam* garrimente) τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ, nisi eadem ratione ipsorum quoque *Baronii, Bellarmini, Calvini, Menochii, Cujacii, Fernelii, Fallopii, Cardani, Scaligeri, Turnebi, &c.*

*Vervecum in patriâ, crassog, sub aëre nati*, sint dicendi. Desinant igitur maledicere, totq; communem gentibus multa scribendi morem, solis *Germanis* contumeliosè adscribere, aut magnos quorundam libros, doctrinæ exiguæ, nec satis subactæ, indicium reputare; *Plinium* audiant: (*L. I. Ep. 20.*) *ut aliam bonam rem, ita bonum librum meliorem esse, quòd majorem; Anticyram* navigent, *belleboro* iudicium sanaturi, vel saltem *Nasonem* adeant, *Nasutuli* isti, ut, ab eo *transformati*, novos induant animos, admirandarum operationum καὶ ἐνρημάτων capaces, rectèq; impofterum atque ordine iudicium facere possint. Licet nec desint exteris emundioris nati homines, qui æqua *literariis* nostratium *meritis* precia statuere & possunt & solent, quosque vel cum ipso *Jovio*, *genti suæ nimis* aliquin *ex professo addicto*, (quò nomine à *Lips. L. I. Polit. C. 9. nott. & Bodino, C. IV. Meth. Hist.* vapulat) ingenuè aliquando fateri veritas jubet: (*v. Elogg. Doct. V. fin.*) *Literas, non Latinas modò, sed Græcas & Hebraicas, in Germanorum Terras fatali commigratione transisse; neq; eosdem suâ vetere militia laude contentos, quâ Martium decus Romanis, gentium victoribus, ereptum, stabili disciplinæ severitate tueantur; ipsa etiam pacis ornamenta, literas optimasq; artes, decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulisse; vel cum Bodino, etsi jurato gentis nostræ hoste: (l. d. C. V. & L. V. de Rep. C. 1.) tantum nos profecisse, ut humanitate, Asiaticis; militari disciplinâ, Romanis; Religione, Ebraeis; Philosophiâ, Græcis; Geometriâ, Egyptiis; Arithmeticâ, Phœnicibus; Astrologiâ, Chaldaeis; Opificiorum varietate, populis omnibus,*

mnibus, superiores esse vidcamur. Sic & candida illa *Lipſii* est confessio, (Cent. I. Misc. Ep. 28.) Germaniam quoque alere homines ingenio doctrinâq; suis popularibus pares; fide & virtute, meliores. Enimverò vel ex *Crudioribus* his *Meditationibus* quodammodo hæcenus apparuisse credo, haud deceptum aut lapsum iudicio suo esse *Morbosum*, quando, id certè vel ipsum livorem fassurum, scripsit, (l. d. p. 208.) absq; Germanis vix tantos in re literaria progressus facturam ceteras Nationes, quæ Germanos quoadantenus *PÆDAGOGOS* nactæ sunt. Sed quid his diutius meditationibus ego hominice immoror? Manum de tabula! Nunc enim *CONSCRIPTOS* potius literarum *PATRES*, quos fecundissima *Studiorum*, ingeniorumq; *Optimorum Mater*, *GERMANIA*, suo fovet sinu, appello, eosq; nunc, ut ab his exterorum cavillis vindicare Patriam velint, per omnia Musarum Sacra, per amorem Patria debitum, per illustria illa Germania in omnes Literas Merita, deniq; per Ipsorummet, ab externis indignè Ipsis ereptam Literarum gloriam, obtestor; Illos, inquam, qui non cum *Eruditorum* vulgo, angustissimis Scientiis circumscribi limitibus optant, ut cursu vel perfunctorio terminari hoc stadium, à mediocri etiam ingenio, possit: Sed qui hodierna *Eruditionis* faciem, instar admiranda istius stupendâq; magnitudinis machina, cujus una rota *VIII.* decem annis cursum terminare debuerit, quamq; *Carolo V.* oblatam esse, *Brownius* (*Phil. Epid. p. 827.*) & *Dee* (præf. ad *Euclid.*) memorant, intuentur, quæ infinito quoq; annorum spatio immensos suos circulos absolvere nequeat. *Amisimus* nuper *Lambecios*, *Bosios*, *Conringios*, *Bæcleros*, *Morbosios*, *Thomasios*, aliosq; ad hoc quasi natos & factos. Exorire aliquos tantis ex ossibus hæres, qui istud antè laudatum *Morbosii* institutum, de gentis nostræ gloria immortaliter meriturus, persequatur, & illustria Germanorum in singulis *Eruditionis* partes Merita, quibus externis vel pares vel superiores deprehenduntur, Orbi ex merito representet. Nec desunt hodie ex Vobis, quibus *Erasmicum* illud: Cedo nulli, attribuere jure liceat, quicq; pares huic operi humeros supponere valeant: Neq; eos tacerem, nisi, ut *Vellej. Pat. (L. III. Hist. R. C. 35)* ait, penè stulta esset, inherentium oculis ingeniorum enumeratio. Nec deerunt, qui licet integrum fortè opus aggredi nolint, symbolas saltem suas collaturi sint, suaq; hæc in rem meditata Patriæ, ad vindicandam ejus communi quasi manu gloriam non invisuri. Omnia tempora, omnia literarum studia percurrentia esse nobis, quo suus Germanorum Ingeniis ac meritis constet honos. Exigetis ita & Patria & Vobismet ipsis ---- monumentum ære perennius.

Regaliq; situ *Pyramidum* altius.

Benè verò est, quod jam ante quinquenn. in Germania *Gloriosa Sciægraphiâ*, ejus rei nobis spem *Cl. Herzium* fecisse videam, qui ibi *T. 1. Bibliotheca Germ.* a se edendæ, *P. IX. gen. Germaniam Ingeniosam*, & portò *Germ. Docentem*, & *Erudiram* siltere promissit; quod Opus ut brevi eruditus Orbis videat, summo cum desiderio expectamus & optamus. *DEUS* modo *Supremus Artium Scientiarumq; Inventor ac Stator*, *Germanicum Orbem*, *Patriam nostram florentissimam*, ejusq; *Caput Gloriosissimum*, *Augustissimum LEOPOLDUM nostrum*, cum *CEO DÆTQ; JOSEPHO*, omnibusq; nostratis *Imp. Membris Fulgidissimis*, omni felicitatis genere, in hostium invidiam, curularissimè bect, ac diutissimè teneatur!




**T**Antane Vah! GERMANE, Tibi est audacia mentis,  
Hostibus ut cum tot congregiâre simul?  
Calcar at est pietas, justæ & fiducia causa,  
Tanta ut cum tantis prælia sole feras.  
Hinc Tibi nunc grator meritò, TEICHMANNE, trium-  
phos,

Qvos tot de ac tantis gentibus unus agis.  
*Pro Patriâ si dulce mori; quin dulce, triumphum*  
*Ducere pro patriâ: Vincere præstat enim.*  
Incluta Germanarum meritorum gloria, clava est,  
Tot tibi quâ populi procubuere solò.

*Pausis hisce prolixissimum affectum Nobilissimo  
ac Politissimo DNO. RESPONDENTI, Au-  
ditori suo oppidò industrio, cum voto felicif-  
simorum porro in benè adornatis Studiis suis  
progressuum, testatur*

**JOH. Mehn. J. U. D. & ff. P. P.**  
nec non Confist. Duc. Megap.  
h. t. Director.



**D**ies was ein Zoilus mit schelem Eysen neidet /  
Das muß Ihm selbst der Grad zum Untergange sein;  
So wird / ob heute noch die Tugend Anstoß leydet /  
Durch blasser Neider Giff / nur klar derselben Schein.  
So wahr der Weißheits Ruhm / der Dir mit Recht gehöret /  
Womit die Pallas Dich vor deinen Fleiß geziehret /  
Dir / Teutschland / ohne Recht durch fremden Neid verschret /  
Doch siehe / wie dein Lob dadurch wird aufgeführt.  
Durch siehe diese Schrift! die Dir dein Sohn gesehet /  
Wie hoch dein Weißheits Ruhm für andren wird geschähet.

*Mit diesen wenigen Zeilen, wolte dem Herrn Respondenti, sel-  
nem Domestico, gebühmächtig nebst Wünschung alles  
Wohlsseins, sein Gemüth eröffnen*

**H. C. Bielke. D.**

*Summa*



**S**umma petunt tumidi perfiantq; altissima venti,  
Circa humiles frondes vi leviore fremunt.  
Vidimus excelsas vaga fulmina tangere turres,  
Innocuas humiles verò manere casas.  
Sic modò summa petit livor, sublimia rodit:  
Hincqve in GERMANOS invida turba ruit.  
At meritis fulcita suis stat gloria nobis,  
Cui neqve tempestas invidiosa nocet.  
Invidiam ducit comitem sibi gloria, & illa  
Hancce statim sequitur, corpus ut umbra suum.  
Unde meam de TE si spem Votumq; reqviris,  
Invidiam quondam spero precorq; Tibi.

In Honorem Doctiss. DN. RESPONENTIS,  
egregium hoc laudatissimorum Studiorum  
specimen ipsi gratulatus, cum applausu, &  
omnigena prosperitatis voto, auctoritati  
adjiciebat


M. Bernh. Petr. Karl.

Osnabrugens.

Disputat, PRÆSES.







*crederet, coram ab ipso petierit, inspectaque Düreri  
 te & agilitate, stupefactus multis confessus fuerit, nulli-  
 nem, ejus rei, quam oculis vidisset, fidem sibi facere po-  
 verò, similem huic artificem, etiam non rarò in sermo-  
 questum fuisse, quod sibi non contigisset illa Dureri sci-  
 cum Mantua decumberet, & Durerum in Italia esse au-  
 d se accersi curavisse. Sed non suo solum ævo aded ille  
 posteritate quoque immortaliter vel per hoc meritis est,  
 artem & doctrinæ rationem usu, ne casu magis, & na-  
 fortuitò, quàm justâ scientiâ quis impostero hâc in ar-  
 ta artis pingendi præcepta composuerit. Quamobrem  
 quod d. l. *Adamus* observat) inde & præcipuè celebra-  
 tum pictoriam artem auxerit; illustraverit, ac ad severio-  
 rit; sed & literis posteritati commendare cepit: dicereq;  
 inquam pingendi sibi arte immortalitatem pepererunt,  
 tem, *Actionem, Protogenem, Parrhasium, Arisidem Theba-*  
 nissent, hæc facillè inventuros fuisse Magistrum, sub cujus  
 yrocinia iterâsse reputâssent omnis suæ felicitatis caput.  
 s nunc ostendendum mihi sumam, quid & in POESI no-  
 ingenia, cum ipse Dn. *Morhofius*, in *Doctiss. Dissert.* sua  
 a, passim, de iis saltè, qui vernacula lingvâ è nostris  
 ntè monstraverit, minimè nobis defuisse, qui cum alia-  
 tis contendere queant, immò, Poëtas nostrates longo gen-  
 n intervallo præcurrisse. Ubi & p. 279. sq. *Rudbeckium*  
 ntica L. 4. C. 24. quod Germanis suo jam ævo *Tacitus*  
*Carminibus ANTIQVIS* (quod unum apud illos memoria  
 sit) celebrare *Tuissonem* &c. ad *Suecos* suos invidiosè tra-  
 it. Non tamen hæc possum, quin ex nostris unum nunc  
 terorum Poëtis vel omnibus opponam; neq; verò ex an-  
 osdam non contemnendos, vel ex ipsis barbaris seculis  
 d *Melanchthonem* nostrum, *Communem* illum *Germania*  
*Joach. Camerarium*, (non *Germania* solum, sed totius *Eu-*  
 , ab ipso *Turnebo* appellatum,) duo illa Germanici Orbis  
 irari nunquam Literaria Resp. nisi ingratißima, desinet,  
 a exciti, plurimi superiori tempore *homines nobiles & do-*  
 lia, *Hispania, Pannonia, immò & Græcia, certatim ad nos*  
 i *Vita* teste) confluxerunt, qui & in Græca imprimis Poësi*

